





Contenta. 63.

Sententia sua pro verba Salomonis. phil. melanton  
S. ne augustini & aliorum velut apthonsun. prosperi  
de sacramenta ecclesie quodam. Eras. Rotterdami  
de premissis ad domum Iesus & par. ecclesie. Eras. Ro  
Angustissia quicq. anaphorica ex Eras. Ro. ap. ne

Theologorum. S. n.

Quicquid habes meriti pro uictus gra donat  
nil deus in nobis nisi sua dona coronat

P. C. 51

~~Theologie~~

E. V. 392

als od ful



 SENTEN-  
TIAE ALIQVOT VE-

LVT APHORISMI, EX OMNIBVS

Augustini ac aliorū libris, per PROSPERVM  
episcopum Rheginensem (vt veneran-  
dæ vetustatis exemplar restatur)

ad vsum pietatis stu-  
diosorum se-  
lectæ.



COLONIAE  
Ioannes Praël excudebat,  
Anno M.D.XXXI.  
Mense Aug.

*the clastori Dyssburg*  
2



CONTINENT

THE ALLIANCE

BY ANTONIUS DE OMNIBUS

ANNO DOMINI MDCCLXXII

IN AMSTELÆDAMI

APUD JOHANNEM VAN DER

WOUWEN

LIBRARIUM

EST

IN AMSTELÆDAMI  
APUD JOHANNEM VAN DER  
WOUWEN  
LIBRARIUM

Handwritten text, possibly a signature or date, in blue ink.





# SENTENTIAE

## ALIQVOT VELVT APHO

rismi ex omnibus Augustini, & alio  
rū libris p Prosperū episco  
pum Rheginēsem de  
cerptæ.

## QVAE SIT VERA INNO centia. Caput .I.



Innocentia est vera que nec sibi nec alteri  
nocet: Quonia q diligit iniquitatē odit  
animam suā, & nemo nō prius in se q̄ in <sup>Psal. 10</sup>  
alterum peccat.

¶ De hominibus diligen-  
gendis. II.

Sic diligendi sunt homines, vt eorum non diligan-  
tur errores: qa aliud est amare q̄ facti sunt, aliud odif-  
se quod faciunt.

¶ De vera æternitate III.

Vera æternitas, & vera immutabilitas non est ni-  
si in deitate trinitatis: cui quod est esse, perpetuū est:  
qa natura initio carens, incremento nō indigēs, sicut  
nullū finem, ita nullam recipit mutabilitatē. Creatu-  
ræ autem illæ quibus deus æternitatē dedit, vel datu-  
rus est, nō pœnitus omnis finis alienæ sunt, quia non  
sunt extra commutationē, dum finis illis est & tem-  
poralis institutio, & localis mutatio, & ipsa in augmē-  
tum sui mutatio facta.

A ij



## SENTENTIAE EX AVG.

### ¶ De patientia: III.

**Ezec. 18.** Patientia dei magna est, qua parcat contemptus, parcat etiam negatus: & magis vult vitam peccatoris quam mortem. Eruditio est poenitudinis, & oblatio correctionis: nec vlla Christi opera à misericordia vacante: quam homini, & indulgentia consulit & flagello.

### ¶ De ultione dei. V.

Diuina bonitas ideo maxime irascitur in hoc seculo, ne irascatur in futuro: & misericorditer temporalem adhibet seueritatem, ne aeternam iuste inferat ultionem.

### ¶ De vera confessione siue laudatione. VI.

Vera confessio est benedictis, cum idem sonus est & oris & cordis. Bene autem loqui & male viuere, nihil aliud est, quam se sua voce damnare.

### ¶ De virtute charitatis. VII.

Dilectio dei & proximi propria & specialis virtus est piorum atque sanctorum, cum ceterae virtutes & bonis & malis esse possint communes.

### ¶ De doctrina apostolica. VIII.

Doctrina apostolica tam salubris atque vitalis est, ut pro capacitate videntium neminem sui relinquat exortem: quia siue paruuli, siue magni, siue infirmi, siue fortes habent in ea unde alantur, unde fatientur.

### ¶ De quaerendo deo. IX.

Deum quaerens gaudium quaerit. Sic ergo quaerit ut non in se, sed in domino gaudeat. Accedendo enim ad deum illuminatur ignorantia, & corroboratur infirmitas, data sibi & intelligentia qua videat, charitate qua ferueat.



PER PROSP. SELECTAE

¶ De fastidio spiritali.

X.

Sicut corpori noxium est escam corpoream non posse percipere: ita animæ periculosum est spirituales delicias fastidire.

¶ Quàm obnoxiiū fit ad non esse tēdere.

XI.

Nonnunquam multi sunt qui ad non esse tendūt: Quid enim tam est obnoxium paucitati, quàm quod est debitum perditioni?

¶ Quod deus pœnam reorum non concupiscat

XII.

Non concupiscit deus pœnam reorum tanquam faturari desiderans vltione, sed quod iustū est, cū tranquillitate decernit, & recta voluntate disponit: vt etiam mali non sint inordinati.

¶ De bono intellectu.

XIII.

Bonum intellectum habet, qui quod faciendū est recte intelligit & facit. Alioquin talis est, sine opere intelligentia, qualis sine timore sapientia, cum scriptum sit: Initium sapientiæ timor domini.

Ecci. 16

¶ De requie adhuc in carne viuentis.

XIII.

Habet & in hac vita requiem suam anima quæ de morte infidelitatis exempta est, & non ab operib<sup>9</sup> iustitiæ, sed ab iniquitatis se abstinet actione, vt viuens deo & mortua mundo, in humilitatis & mansuetudinis placita tranquillitate requiescat.

¶ De vouendo deo.

XV.

Quisquis bene cogitat quæ voueat deo, & quæ vouēdo persoluat, seipsum voueat & reddat. Hoc exigi

A iij



Luc. 02

## SENTENTIAE EX AVG.

tur, hoc debet. Imago Cæsaris reddat Cæsari: imago dei reddat deo. Sed sicut videndum est, qd offeras, & cui offeras, ita etiã cõsiderandum est, vbi offeras: quia veri sacrificij extra catholicam ecclesiam locus nõ est.

¶ De iustitia & gratia.

XVI

Duo sunt retributiones iustitiæ: cum aut bona pro bonis: aut mala pro malis redduntur. Tertia est retributio gratiæ: cum per regenerationem remittuntur mala, & retribuuntur bona, atq; ita manifestat: qd vniuersæ viæ domini misericordia & veritas. Illam autẽ retributionem impiorum, qua pro bonis mala restituntur, deus nescit: qui nõ retribueret bona pro malis, nisi esset cui retribueret bona pro bonis.

Psal. 24

¶ De supernæ patriæ ciuibus

XVII.

Omnis qui ad supernam pertinet ciuitatem, peregrinus est mundi: & dum temporali vtitur vita, in patria viuit aliena: vbi inẽ multa illecebrosa, & multa fallacia deum nosse & amare paucorum est, quibus sit pceptum domini lucidum, illuminas oculos, vt nec in dei, nec in proximi charitate fallantur.

Psal. 103

¶ De carnis cupiditate vincenda.

XVIII.

Sapi 9

Nemo est cuius animam corruptibile corpus & inhabitatio terrena non aggrauet. Sed nitendum est, vt carnis cupiditates spiritus vigore superentur, & interior homo qui semper sibi sentit resisti, semper



PER PROSP. SELECTAE

de diuino auxilio expectet adiuuari

¶ De angusta via vitæ. XIX

Angusta est via quæ ducit ad vitam: & tamen per Mat. 7. ipsam, nisi dilatato corde non curritur: quia iter virtutum quo gradiuntur pauperes CHRISTI, ampulum est fidei spei, & si arctum sit infidelium vanitati.

¶ De premio Christianæ religionis XX

Hoc affectu & desiderio colendus est deus, vt sui cultus ipse sit merces. Nam qui deum ideo colit vt aliud magis quam ipsum promereatur, non deum colit sed illud quod assequi concupiscit

¶ De iudicandis occultis XXI

De occultis cordis alieni temere iudicare peccatum est, & eum cuius non videntur nisi bona opera iniquum est ex suspitione reprehendere, cum eorum quæ hominis sunt incognita solus deus iudex sit, quia iustus est & inspector verus.

¶ De adiutorio dei XXII

Diuini est muneris, cum & recta cogitamus, & pedes nostros à falsitate atque iniustitia continemus. Quoties enim bona agimus deus in nobis, atque nobiscum vt operemur operatur

¶ De passionibus sanctorum à malis XXIII

Iusto iudicio dei datur plerunque peccatoribus potestas qua sanctos ipsius persequantur, vt qui spiritu dei iuantur & aguntur fiant per laborum

A iij

*Suspicio*



## SENTENTIAE EX AVG.

exercitia clariores.

¶ Deficientia boni & actione. XXIII

Non est vera scientia boni, nisi ad hoc comprehendatur ut agatur. Inutiliter autem meditatur legem dei, qui laborat ut memoria teneat quod actione non implet.

¶ De amore legis in hominibus. XXV.

Qui legem dei diligit, probat se in hominibus iniquis, id quod contra legem est odisse, non homines.

¶ De scrutandis mandatis dei,  
sine iurgijs XXVI

Mandata dei, nisi quieta mens scrutari non potest: Ut ergo religiosum exerceatur studium, abigenda sunt iurgia malignorum.

¶ De proficiendo semper XXVII

Nemo tam eruditus, nemo tam doctus est qui superna illustratione non egeat. Non enim vlla ita diuinorum bonorum augmenta sufficiunt, ut non semper supersit quod mens rationalis & intelligendum desideret & gerendum.

¶ De duplici opere dei, misericordiae  
& veritatis XXVIII

Si omnes homines simul consideremus, quorum alij misericordia salui fiunt, alij veritate damnantur, vniuersae viae domini, id est, misericordia & veritas suo fine distincte sunt. Si autem solos sanctos intueamur, non discernuntur haec viae domini. Individa enim ibi est & a misericordia veritas, & a veritate misericordia: quia



PER PROSP. SELECTAE

beatitudo sanctorum, & de munere gratiae est & retri-  
butione iustitiae.

¶ De obseruantia pacis cum  
malis. XXIX.

Christianae perfectionis est, pacificum esse etiam  
cum pacis inimicis, spe correctionis, non consensu ma-  
lignitatis: ut si nec exemplum, nec cohortationum  
discretionem sequantur, causas tamen non habeant,  
quibus odisse nos debeant.

¶ De custodia dei in tentatione. XXX.

Custodit nos dominus ab omni malo, non ut nihil  
patiamur aduersi, sed ut ipsis aduersitatibus anima non  
laedatur. Cum enim tentatio adest, fit quidem in id  
quod nos impugnat introitus. Et sicut bono fine id est  
sine vulnere, animae tentatio consummatur, ita ad æ-  
ternam requiem de profundo temporalis laboris exitur.

¶ De munere Dei in ascensu Ieru-  
salem. XXXI.

Ad caelestis Ierusalem non ascendunt consortium  
nisi qui toto corde profitentur, non proprii operis, sed di-  
uini esse muneris quod ascendunt.

¶ De odio mundi in Christianos. XXXII.

Omnes qui in Christo pie volunt viuere, necesse 2. Timo. 3.  
est ut ab impijs & dissimilibus patiantur opprobria,  
& despiciantur tanquam stulti & insani qui in presentia  
bona perdunt, & inuisibilia sibi, profutura permittunt. Sed  
haec despectio & irrisio in impios retorquetur, cum & a  
bundantia eorum in egestatem, & superbia transie-



## SENTENTIAE EX AVG.

rit in confusionem.

¶ De patientia, in quo consistat XXXIII

Tota fidelium salus, tota patientiæ fortitudo ad eū qui in sanctis suis mirabilis est, referenda est: quia nisi in illis dominus esset, furori impiorum fragilitas succumberet humana.

¶ De debitis obsequijs XXXIII

Ita à plebibus principes, & à seruis domini sunt ferendi, vt sub exercitatione tolerantie sustineantur tēperalia, & sperentur æterna. Auget enim merita virtutis, qui propositum nō violat religionis.

¶ Non conqueri de constitutionibus  
dei XXXV

Recti corde de præceptis dei & constitutionibus non queruntur, quia iustum est omnia æquanimiter accipi, quæ iudicaturus voluerit tolerari

¶ De ædificatione domus dei XXXVI

Omnis sancti ædificij status, sicut deo operante, perficit, ita deo custodiente consistit. Quoniam tunc utilis præpositorum custodia est, cum spiritus dei populo suo præsidet, & nō solū greges, sed etiam ipsos dignatur custodire pastores.

¶ De æternis gaudijs XXXVII

Æternæ ciuitatis æterna sunt gaudia & stantium dierū perpetuitas infinita, nec variabitur, nec labet quæ incommutabili pace potientur, quorum erit omnium bonum, etiam quæ sunt singulorum

¶ De lege charitatis XXXVIII

Lex Christi perfectio est charitatis, qua deus proximisq; diligitur, & per quam dicitur conditori legis.



PER PROSP. SELECTAE

Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus Matth. 6  
debitoribus nostris. Bene autem expectat promissi-  
onem dei, qui mādāta eius exequitur, nec frustra spe-  
rat parcendum peccatis suis, qui ignoscit alienis

¶ De iussionibus dei XXXIX.

Nihil deus iubet quod sibi profit, sed illi cui iubet.  
Ideo verus ē dñs, q̄ seruo nō indiget, & q̄ seru⁹ indiget.

¶ De temporali scientia XL.

Id quod in tempore nouum est, non est nonum a-  
pud deum qui condidit tempora, & sine tempore ha-  
bet omnia, quæ suis quibusque temporibus pro eorū  
varietate distribuit.

¶ De prouidentia dei XLI

Mutabiliū omniū, dispositionē immutabilis ratio  
continet, vbi sine tempore simul sunt, quæ in tēporib⁹  
non simul fiunt: quia tempora non simul currunt

¶ De impunitate peccantiū XLII

Nihil infelicius est felicitate peccantium, qua pcc-  
nalis nutritur impunitas, & mala volūtas, velut hostis  
interior roboratur

¶ De legis litera sine vita XLIII.

Legis lra quæ docet nō esse peccandū, si spūs viuifi-  
cās desit, occidit: Scire em̄ peccatū potius facit quā ca-  
uere, & ideo magis augeri quā minui q̄ male cōcupis-  
centiæ etiam præuaricatio legis accedit

¶ De lege & gratia XLIII.

Lex data est vt gr̄a quereretur, gr̄a data est vt lex  
imple ret. Neq̄ em̄ suo vitio nō implebat, sed vitio pru-  
dētię carnis, quod vitium per legem demonstrādum  
per gratiam sanandum fuit.



## SENTENTIAE EX AVG.

### ¶ De promissione Dei. XLV.

*opa*  
Hoc promittit deus quod ipse facit, non ipse promittit & alius facit, quod iam non est promittere, sed prædicere. Ideo non ex operibus, sed ex veritate vocante, ne ipsorum sit, non Dei, & merces non imputetur secundum gratiam, sed secundum debitum, atque ita gratia iam non sit gratia.

### ¶ De fidelium culpis & infidelium bonis. XLVI.

Sicut non impediunt ab æterna vita iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil profunt aliqua bona opera impio, sine quibus difficillime vitam cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.

### ¶ De mala voluntate & potestate. XLVII.

Cum voluntas mala potestatem accipit efficiendi quod cupit, ex iudicio eius venit, apud quæ non est iniquitas. Punit enim etiam isto modo, nec ideo iniuste, quia occulte. Cæterum iniquus puniri se ignorat, nisi cum manifesto supplicio senserit nolens, quæti mali sit quod perpetravit volens.

### ¶ De superbia in bonis. XLVIII.

Omnia vitia in malefactorum tantum valent, sola superbia etiam in recte factis cauenda est.

### ¶ De pari usu fortunæ. XLIX.

Interest plurimum qualis sit usus, vel earum rerum quæ prosperæ, vel earum quæ aduersæ dicuntur. Nam bonus nec bonis temporalibus extollitur, nec malis frangitur. Malus autem ideo huiusmodi in felicitate



PER PROSP. SELECT.

premitur, quia felicitate corrumpitur.

¶ De morte sanctorum bona. L.

Mala mors putanda non est quam bona vita precesserit. Non enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non enim curandum est multum necessario, morituris quid accidat ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur.

¶ De puritate animi oppresso corpore. LI.

Ita non amittitur corporis sanctitas manente animi sanctitate etiam oppresso corpore, sicut amittitur corporis sanctitas violata animi puritate etiam corpore intacto.

¶ De fortitudine tolerantia. LII.

Maior animus merito dicendus est qui vitam criminiosam magis eligit ferre quam fugere, & humanum iudicium, maxime quod est vulgare, quod plerumque caligine erroris inuoluitur, præ conscientia luce ac puritate contemnere.

¶ De libera seruitute in domino seruili. LIII.

Iustus quicquid malorum aliquis dominus irrogat, non pœna est criminis, sed examen virtutis. Nam etiam bonus si seruiat, liber est, malus autem & si regnet, seruus est: nec vnius hominis, sed quod grauius est, tot dominorum, quot vitiorum.

¶ De oblatione votorum. LIIII.

Nemo quicquam domino recte voueret, nisi ab ipso acciperet quod voueret.

¶ De sententia deitatis. LV.



## SENTENTIAE EX AVG.

Omnis substantia quæ deus non est, creatura est, & quæ creatura non est, deus est. Nulla ergo differentia est in deitate trinitatis: quoniam quod deo minus est, deus non est.

¶ Quales non diligit deus. LVI.

Tales nos amat deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales nostro merito.

¶ De temporali opere dei.

LVII.

Ordo temporum in æterna Dei sapientia sine tempore est, nec aliqua sunt apud eum noua, qui fecit quæ futura sunt.

¶ De principali omnium rerum causa. LVIII.

Voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium spiritualiumque motionum. Nihil enim fit visibiliter & sensibiliter quod non de invisibili & intelligibili summi imperatoris aula, aut iubeatur, aut permittatur secundum ineffabilem iustitiæ premiorum, atque poenarum, gratiarum, & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam vniuersa quoque republica.

¶ De superbia diaboli & Christi humilitate. LIX.

Diabolus superbus hominem superbientem, perduxit ad mortem. Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam, quia sicut ille elatus cecidit, & deiecit consentientem, sic iste humiliatus surrexit, & erexit credentem.

¶ De spiritualibus augmentis.



PER PROSP. SELECTAE.

LX.

In rebus spiritualibus cum minor maiori adhæret, sicut creatori creatura, illa fit maior quàm erat, non ille, & hoc est maius esse quod est melius esse, quia adhærens creatura creatori, non mole auctior, sed virtute fit maior.

¶ De ineffabili excellentia.

LXI.

Excedit supereminentia deitatis non solum vfitati eloquij nostri, sed etiam intelligentiæ facultatem. Verius enim cogitatur Deus quàm dicitur & verius est quàm cogitatur. Non parua autem noticiæ pars est, si antequàm scire possumus quid sit deus, possumus scire quid non sit.

¶ De vera beatitudine.

LXII.

Omnes beati habent quod volunt, quamuis non omnes qui habent quod volunt continue beati sunt. Continuo autem sunt miseri, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non recte volunt. Propior est ergo beatitudini voluntas recta etiam non adepto quod cupit, quàm prava etiam si quod cupit obtinuit.

¶ Quorum sit esse cum Deo.

LXIII.

Magna miseria est hominis cum illo non esse sine quo non potest esse. In quo est enim, sine dubio sine illo non est, & tamen si eius non meminit, eum quem non intelligit neque diligit, cum eo non est.

¶ De incarnatione verbi Dei.

LXIII.

Diuinitas verbi æqualis patri, facta est parti-

*dig qd*





## SENTENTIAE EX AVG.

ceps mortalitatis nostræ: non de suo, sed de nostro: ut & nos efficeremur participes deitatis eius: non de nostro, sed de ipsius.

¶ De hominibus malis odiendis. LXV.

Perfectum odium est, quod nec iustitia nec scientia caret, id est, ut nec propter vitia homines oderis, nec propter vitia homines diligas. Recte ergo in malis odimus malitiam, & diligimus creaturam: ut nec propter vitium creatura damnetur, nec propter naturam vitium diligatur.

¶ De labore fingentiū mendacia. LXVI.

Difficilia & laboriosa sunt fingēta mendaci. Qui autem verum vult dicere, non laborat: quietiores enim sunt boni quā mali, & absolutiora sunt verba veracium, quā cōmenta fallacium.

¶ De diuinis scripturis. LXVII.

Bonæ sunt in scripturis sanctis mysteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne vilescant, ob hoc quærentur, ut exerceant, ob hoc autem aperiuntur, ut pascant.

¶ De oratiōe Christi in sanguine. LXVIII.

Orans cum sudore sanguineo dominus Iesus Christus, significabat de toto corpore, quod est ecclesia, emanaturas martyrum passiones.

¶ De sacramentis ad malos. LXIX.

Sacramentum pietatis in iudicium sibi sumit indignus. Bene enim esse non potest male accipiēti quod bonum est.

¶ De laude dei in beneficijs & minis. LXX.



PER PROSP. SELECTAE

Qui laudat deum in miraculis beneficiorum,  
laudet & in terroribus ultionum. Nam & blanditur  
& minatur. Si non blanderetur, nulla esset exhorta-  
tio. Si non minaretur nulla esset correctio.

¶ De acceleranda conuersione.

in remedio.

LXXI.

Remedia conuersionis ad deum, nullis sunt con-  
tentionibus differenda: ne tempus correctionis pe-  
reat tarditate. Qui enim pœnitenti promisit indul-  
gentiam dissimulanti diem crastinum non spon-  
dit.

¶ De humilitate orandi in bonis.

ac malis.

LXXII.

Rectus est & bene inuocat deum, qui in omnibus  
malis quæ patitur se excusat, non deum, & in bonis  
quæ facit non se laudat, sed deum. Sicut enim repellit  
deus peccata sua defendentem, sic recipit confitētem.

¶ De admiratione creaturarum.

& calcatione.

LXXIII.

Mirabilis est fabrica mundi, sed mirabilior fa-  
bricator. Et male occupatur creatis qui à creatore  
discedit: cui si inheserit inferiora calcabit, ne quod di-  
lexerit contra naturam conuertatur in pœnam

¶ De anima inordinata.

LXXIII.

Anima rationalis superioribus inferiora præpo-  
nens non potest regere quod regebat, quia regi vo-  
luit à quo regebatur.

¶ De pœna peccati in compe-

dibus.

LXXV.

B



*Voti vita no difcedit. de vox vita no remouet. deby  
est propheta. & 54*

SENTENTIAE EX AVG.

Corpus carnis nostrae ornamentum nobis fuit, peccauimus & compedes inde accepimus, vt vinculis mortalitatis omnis humanarum actionum cursus praepediretur.

¶ De psallentibus cum opere & voce. LXXVI.

Recte in dei laudem psallit, cuius opera cum voce concordant. Nam finito carmine, vox tacet. In bonis aut actibus vita permanens nunquam reticet eius gloriam, quem in se gaudet operari.

¶ De timore recto. LXXVII.

Omnia quae timentur, rationabiliter declinantur deus sic timendus est, vt ab ipso ad ipsum confugiantur.

¶ De recta solitudine & securitate. LXXVIII.

Sicut prepostera securitas in periculum impellit, ita ordinata solitudo securitatem parit.

¶ De virginitate corporis & animae. LXXIX.

Virginitas carnis, corpus intactum, virginitas animae fides incorrupta.

¶ Contra superflua. LXXX.

*N* Multa nos in facultatibus nostris superflua habere probabimur si necessaria sola retineamus. Nam vana quarentibus nihil sufficit, & alienorum quodammodo retentor est qui profutura pauperibus inutiliter habet.

¶ De cogitationibus ad deum. LXXXI.



PER. PROSP. SELECTAE

Quomodo aures nostrae ad voces nostras, sic aures dei ad cogitationes nostras. Non autem potest fieri, ut in mala opera exeant cogitationes bonae, quoniam in hac actione promittitur quod corde concipitur.

¶ De cantico nouo.

LXXXII.

Sicut veteris hominis verus canticum ad temporalia, sic noui hominis nouum canticum pertinet ad aeterna, & ita vnusquisque cantat ut viuit. Nouum autem canticum, carmen est fidei, quae per dilectionem operatur.

¶ De vera humilitate.

LXXXIII.

Vera fidelium humilitas est, in nullo superbire, in nullo murmurare, nec ingratum esse, nec quærelū, sed in omnibus dei iudicijs gratias deo agere, deumque laudare, cuius omnia opera, aut iusta sunt, aut benigna.

¶ De desperantibus.

LXXXIIII.

Nimis miser est qui non sperat in deo, & de se sibi secunda promittit, cum ex eo ipso quod non quærat dei auxilium, ab omni spe vere salutis exciderit.

¶ De diuitijs.

LXXXV.

In magna ægestate sunt qui de iniquitate diuites, iustitiæ opes, & sapientiæ non habent, qui autem domino seruiunt, ea bona acquirunt, quae perire non possunt.

¶ De vera bonitate & prodesse.

LXXXVI.

B ij

*omnibus diuis aut  
iniquis aut inig  
hinc*



## SENTENTIAE EX AVG.

Non sufficit abstinere à malo, nisi fiat quod bonū est: & parum est neminem nocere, nisi studeas multis prodesse.

¶ De mali impunitate. LXXXVII.

Peccator qui peccat, non ideo à domino non videtur, quia male agentis poena differtur, grauius autē in eum defauiatur, cui etiam ipsa correctio denegatur.

¶ De bono humilitatis. LXXXVIII.

Non acceditur ad altitudinem dei, nisi per humilitatem, cui propinquat subditus, longe ab eo recedit elatus.

¶ De Sepultura. LXXXIX.

Sicut peccatoribus diuitib⁹ nihil profunt exequiæ sumptuosæ, ita nihil nocent aut viles, aut nullæ sanctorum pauperum sepulturae.

¶ De gaudio recto. XC.

Non potest quisquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium. Aeterna enim exultatio est qui bono lætatur æterno.

¶ Quid hominem Deo iungat. XCI.

Deo qui vbiq; est, non locis, sed actionibus, aut longinqui, aut proximi sumus, quia sicut nos separat dissimilitudo, ita nos illi cōiungit imitatio.

¶ De bono prelio. XCII.

Humanæ egretudinis est, in carne mortali delectationem habere peccandi, sed discipulus amatorq; virtutum, non pacem huic concupiscentiæ tribuere, sed bellum debet indicere:

¶ De spe fidelium. XCIII.

Non te terreat Christiane, q̄ credita differuntur:



PER PROSP. SELECTAE

licet in abscondito sit promissio, in spe tamen perseue-  
ret oratio. Exerce operibus, cresce virtutibus. Dum  
fidei constantia probatur, gloria retributiōis auget.

¶ De temporibus malorum.

Caput. XCIII.

Omne tempus malorum pusillum est. Quid enim  
tam exiguum est, quàm quod in hoc tendit, vt non  
sit?

¶ De charitatis augmento. XCIV.

Crescit semper facultatis charitas, dum vsu maior  
& largitate fit ditior.

¶ De defectu malorum. XCVI.

Malorum impietatem perire necesse est, aut pro-  
prio iudicio, aut sententia Dei. Nulla enim iniqui-  
tas permanet, cui fides, aut correctio, aut damna-  
tio facit.

¶ Vnde adhæreatur deo. XCVII.

Adhærens deo & semper eius faciens volūtatem,  
nunq̄ a suo habitatore deserit: & si quaedam dura, atq̄  
aduersa patiat, non relinquitur, sed probatur.

¶ De iustitia.

XCVIII.

Tota iustitiæ ratio est, vt declinentur mala, & fi-  
ant bona, cuius obseruantia inter quaslibet aduersi-  
tates forma seruanda est: quia hoc solum nunquam  
amittitur, quod operi pietatis impenditur.

¶ De tolerantia bonorum.

XCIX.

Tolerentur præsentia mala, donec veniat beatitu-  
do promissa. Sustineantur a fidelibus infideles, & in-

B iij



## SENTENTIAE EX AVG.

ter hortorum frumenta zizaniorum auulsio differatur, quantumlibet saeuiant impij. Melior est etiam in hoc tempore causa iustorum, qui quanto acrius impetuntur, tanto gloriosius coronantur.

¶ Quid sit clamor ad deum. C.

Clamor ad deum est intentio cordis, & flagrantia dilectionis, quia semper petitur quod semper optatur. Hoc autem deo absconditum non est, quoniam ad ipsum redit, quod ab ipso processit.

¶ De confitendo peccato & remediando. CI.

Bona est peccati confessio, si & curatio consequatur. Nam quid prodest detegere plagam, & non adhibere medicinam?

¶ De perfectionis ascensu. CII.

In hac vita, quae tota tentatio est, etiam in sublimissimis sanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non superfit ascensio.

¶ De laboribus praesentis vitae in uetustate. CIII.

Cum praesentis vitae cursus agitur, etiam si valde proficiat cuius exercitio homo corrumpit exterior, & interior renouat, necesse est tamen ut dum conditioni subiaceret mortis, labores toleret uetustatis.

¶ Quod imago dei homo fit. CIIII.

*5. tunc*  
Imago quidem dei est homo, & qui per iustitiae ambulat vias, ad similitudinem sui tedit auctoris, & tamen dum in hac vita degit conturbationes vanitatis incurrit.

¶ De conditione diuina. CV.



PER PROSP. SELECTAE

Prima diuini muneris gratia est, vt erudiat nos ad nostrae humilitatis confessionem, & agnoscere faciat quod si quid boni facim⁹ p̄ illū possumus, sine quo nihil possumus.

¶ Quod tota vita infidelium peccatum sit, etiā in optimis morib⁹. CVI.

Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono: vbi enim deest agnitio aeternae & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus.

¶ De fundamento spiritali. CVII

Sicut enim fundamentum corporeae fabricae in imo est, ita fundamētum fabricae spiritalis in summo est. Terrena aedificatio à terra incipit, caelestis exstructio à superno crescit exordio.

¶ Quod recordatio vel obliuio non cadant in deū, & quomodo. CVIII,

Tunc dicitur deus meminisse quando facit, tunc obliuisci, quando non facit. Nam neque obliuio cadit in deum, quia nullo modo mutatur, neque recordatio, quia nihil obliuiscitur.

¶ Qui miracula dei videāt. CIX.

Hi vident mirabilia dei quibus profunt. Nam quod non intelligitur, vel vnde non proficitur, non videtur.

¶ De misericordia & veritate obuiantibus sibi. CX.

Non auferat veritas misericordiam, nec misericordia impediatur veritatem. Si enim pro misericordia vindicabis contra veritatem aut quasi rigida

B iiii.



## SENTENTIAE EX AVG.

veritate oblitus fueris misericordiam, nō ambulabis in via domini, in qua misericordia & veritas obuiauerunt sibi.

¶ De tentatione & mutatione Christi non in miraculis. CXI.

Tentatio Christi, eruditio Christiani est. Imitatores enim magistri debent esse discipuli, non in faciendis miraculis, quæ nemo exigit, sed in custodienda humilitate, atq; patientia, ad quæ nos dominus inuitauit suo exemplo.

¶ De cupiditate & charitate. CXII.

Quomodo radix omniū malorum cupiditas est sic radix omnium bonorum charitas est.

e. Tim. 6.

¶ De gaudio Christiani. CXIII.

Christiano recte gaudendi causa non præsens seculum est, sed futurum. Et ita est vtendum temporalibus ne obsint æternis, vt in via qua peregrini ambulant, hoc placet quod ducit ad patriam.

¶ De Sabbato. CXIII.

Male celebrat sabbatum qui ab operib<sup>9</sup> bonis vacat. Ocium autem ab iniquitate debet esse perpetuum quia bona consciētia non inquietū, sed tranquilum facit animum.

¶ Quod bonum cum gaudio sit faciendum. CXV.

Cum bonum operaris, hilaris operare: Nam si qd boni tristis feceris, fit de te magis quàm facis.

¶ De cohabitatione bonorum & malorum. CXVI.

Si in mores malorum non transeant boni, etiam



PER PROSP. SELECT.

inter cohabitantes magna diuisio est. Non ergo homines qui meliorum exemplo corrigi queunt, sed hominum est fugienda iniquitas.

¶ Quod nō sint vitāda peccata timore,  
sed amore. CXVII.

Eam deus innocentia probat, qua homo non metu pœnæ fit innocens, sed amore iustitiæ. Nam qui timore non peccat, quamuis non noceat cui vult nocere, tamē plurimū nocet, & abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate.

¶ De pharisæo & publicano.  
CXVIII.

Melior est in malis factis humilis cōfessio, q̄ in bonis superba gloriatio.

¶ Quod iniqui malitia profit  
bonis. CXIX.

De malitia mali flagellatur bonus, & de seruo emē datur filius.

¶ De mundana iniquitate. CXX.

Sicut stellas cæli non extinguit nox: sic mentes fidelium adherentes firmamento sanctæ scripturæ non obscurat mundana iniquitas.

¶ De propria facultate. CXXI.

Ad peccandum homo abundat propria facultate, ad agendum autem bonum non sufficit nisi ab illo iustificetur, qui solus iustus est.

¶ De contrarijs moribus bonis CXXII.

Magnus bonorū labor est, mores tolerare cōtrarios, q̄bus q̄ non offendit, parē proficit. Tm̄ em̄ torquet iustū alieni peccati iniquitas quantum à sua recedit.

B v



## SENTENTIAE EX AVG.

¶ Qualiter accedatur vel recedatur  
à Deo. CXXIII.

Non locorum interuallis acceditur ad deum vñ re-  
cedit ab eo, sed similitudo facit proximū, dissimilitu-  
do longinquū, & nimia miseria est ab eo bono longe  
esse quod vbiq; est.

¶ De vera libertate. CXXIII.

Libera semper est seruitus apud deum, cui non ne-  
cessitas seruit sed charitas.

¶ De tolerantia hominum. CXXV.

Qui ideo neminem vult hominum pati, quia vt ar-  
bitratur multum proficit, per hoc ipsum q̄ alios non  
tolerat, ostendit quod potius non proficit.

¶ De artifice summo. CXXVI.

Totum bonum quod habemus, ab artifice nostro  
habemus. Sed si hoc in nobis est, quod ipsi fecimus,  
inde damnabimur, si autem hoc quod deus fecit, in-  
de coronabimur.

¶ De verbo dei. CXXVII.

Verbum dei per quod facta sunt omnia, tempus  
præordinauit quo susciperet carnem, non tempori  
cessit quo verteretur in carnem. Homo quippe deo  
accessit, non deus à se recessit.

¶ De fide & intellectu. CXXVIII.

Intellectui fides viā aperit, infidelitas claudit.

¶ De homine victo. CXXIX.

Quo primum vitio superatur homo, hoc vltimū  
vincit. Cum enim omnia peccata superauerit manet  
periculum, ne sibi mens nihil conscia in se potius q̄ in  
domino gloriatur.



PER PROSP. SELECT.

¶ De perfectione. CXXX.

Finis curarum perfectio desideriorum est, & in id quisq; tēdit, ac nititur, vt ad illud perueniat quo delectatur. Sapiens ergo est hoc appetere quod bonum facit, non id amare quod decipit.

¶ De duobus donis gratiæ. CXXXI.

Sicut duo sunt officia medicinæ, vnum quo sanat infirmitas, aliud quo custoditur sanitas. Ita duo sunt dona gratiæ, vnum quod aufert carnis cupiditatem, aliud quod facit animæ perseuerare virtutem.

¶ De laboris fine. CXXXII.

Non poterit hominis labor finiri nisi hoc diligat, quod ei non possit auferri.

¶ De iniquitatis læsione. CXXXIII.

Impossibile est vt iniquitas prius lædat hominem iustum in quem tendit, q̄ cor iniustum vñ procedit.

¶ De miraculis visibilibus & inuisibilibus.

CXXXIII.

Visibile miraculū ad illuminationem vocat. Inuisibile autem eum qui vocatus venit illuminat. Omnia mirabilia dei narrat qui credens visibilibus ad intelligendum inuisibilia transitum facit.

¶ De fugientibus diabolum & participantibus. CXXXV.

Meliores sunt qui diabolum persequentem fugiunt quàm qui præeuntem sequuntur: quia vtilius est, eum hostem habere quàm participem.

¶ De prauis cupiditatibus. CXXXVI.

Omnes prauæ cupiditates sunt portæ inferi, per quas in mortem itur: cuius dominatum subit qui ad



## SENTENTIAE EX AVG.

ptum se ad perfrundū lætatur q̄ periturū cōcupiuit.

¶ De adulatione. CXXXVII.

Adulantum linguæ alligant animas in peccatis: delectat enim ea facere in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur.

¶ De male conscio animo. CXXXVIII.

Animus male sibi conscius dū videtur sibi nullā pœnam pati, credit quia non iudicet deus: cum abuti patientia dei, & non intelligere parentis benignitatē iam sit magna damnatio.

¶ Quod prior sit natura quam vitium. CXXXIX.

In creatura quæ arbitrio suo peccat: prior est natura quam vitium. Quod ita contra naturam est, vt nō possit nisi nocere naturæ: quod ita non esset vitium a deo recedere, nisi naturæ cuiuslibet vitium esset cui potius competeret esse cum deo.

¶ De angelis & hominibus malis.

CXL.

Nullum deus vel angelorum vel hominum crearet quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset quibus eos vsibus bonorum commendaret: atq; in ordinem seculorum, quasi pulcherrimum, carmen, etiam ex quibusdam pulcherrimis antithetis honestaret.

¶ De cōditione creaturæ. CXLI.

Tria quædam maxime nobis scienda de conditione creaturæ oportuit intimari. Quis eā fecerit, p̄ qd fecerit, q̄re fecerit. Dixit deus inqt, Fiat lux & facta ē lux: & vidit deus lucem, quod bona esset. Nec autor ex-

Gene x



PER PROSP. SELECTAE

**l**entior est deo, nec ars efficacior est dei uerbo, nec causa melior est, q̄ ut bonum creetur à bono.

¶ De bono & malo amore. CXLII.

Est amor quo amatur & quod amandum nō est, & istum amorem odit in se qui illum diligit, quo amat quod amandum est. Possunt enim ambo in vno homine esse: & hoc bonum est homini, ut illo proficiente, quo bene uiuimus, iste deficiat quo male uiuimus, donec ad perfectum sanetur, & in bonum commutetur omne quod uiuimus.

¶ De bono creaturæ. CLXIII. 143.

Creaturæ rationalis vel intellectualis bonum: quo beata fit non nisi deus est, quod ei nō ex seipsa est: quia ex nihilo creata est. Hoc enim adeptō fit beata, quo amisso misera.

¶ De vitio naturæ. CXLIII.

Vitium esse nec in summo pōt bono, nec nisi in aliquo bono. Sola ergo bona alicui esse possunt: sola autem mala nusquam. Et illæ quæ ex malæ voluntatis vitio vitiatæ sunt, in quantum vitiosæ sunt, malæ sunt, in quantum autem veræ sunt, bonæ sunt.

¶ Quid credi debeat. CXLV.

Non est phas aliter credere affici deum cum uacat, aliter cum operatur, quia nec affici dicendus est, tanquam in eius natura fiat aliquid quod ante non fuit. Patitur quippe qui afficitur, & mutabile est omne quod patitur. Non ergo in deo, aut pigra uocatio, à laboriosa cogitetur industria, quæ nouit & quiescens agere, & agens quiescere, & quod in operibus prius quidem est, aut posterius, non ad facientem, sed ad fa-



## SENTENTIAE EX AVG.

ēta referendum est. Aeterna enim est & incommutabilis voluntas eius, nec consilio alternante variatur, in qua simul est quicquid in rebus creandis vel ordinandis, aut praecesserit, aut sequitur.

### ¶ Quod deus est tantum creator. CXLVI.

Nullius quamuis minimae naturae, nisi deum creatorem dici, aut credi licet ab aliquo. Quod si angeli missi vel permisi adhibeant operationem suam rebus, quae gignuntur in mundo, tamen non sunt creatores animalium, sicut nec agricolae frugum vel arborum.

### ¶ De prima conditione mortis.

#### CXLVII.

De prima corporis morte dici potest, quod bonis bona sit, malis mala. Secunda vero sine dubio, sicut nullorum bonorum est, ita nulli bona.

### ¶ De morte piorum. CXLVIII.

Mors etiam piorum, peccati poena est. Sed ideo ipsis dicitur bona, quia illa bene utuntur, quibus finis est ad mala temporalia, & transitus ad vitam aeternam. Sicut enim iniustitia malae utitur, non tantum malis, verum etiam bonis, ita etiam iustitia, non tantum bonis, verum etiam malis bene utitur.

### ¶ De martyribus non baptizatis.

#### CXLIX.

Qui etiam non praeepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad abolenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis.



PER PROSP. SELECTAE

¶ Quod omne peccatum sit mendacium. CL.

Cum homo secundum se viuit, non secundum deum, similis est diabolo, quia nec angelo secundum angelum, sed secundum deum viuendum fuit vt staree in veritate, & veritatem de illius, non de suo mendacium loqueretur. Vnde non frustra dicitur, omne peccatum esse mendacium, quia non peccatur, nisi ea voluntate quæ contraria est veritati, id est, deo.

¶ De diuersa voluntate affectionum. CLI.

Diuersitas humanæ affectionis, ex diuersitate voluntatis est, quæ si praua est, peruersis erit moribus inquieta. Si autem recta non solum non culpabilis affectio hominis erit, sed etiã laudabilis.

¶ De arbitrij libertate vera. CLII.

Arbitrium voluntatis tunc est vere liberum, cum vitijs peccatisq; nõ seruit. Tale datum est à deo, quod amissum nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde veritas dicit. Si vos filius liberauerit, tunc uere liberi eritis.

¶ Quod cor ad deum sit habendũ. CLIII.

Bonum est sursum habere cor, non tamẽ ad seipm quod est superbiæ, sed ad deum, quod est obedientiæ. Plus aut appetendo minus est, qui de se sibi sufficere confidit, ab eo qui vere ei sufficit, deficit.

¶ De vita beata. CLIIII.

Beata vita si non amatur, non habetur. Porro si amatur, non ideo habetur, necesse est, vt cæteris rebus



## SENTENTIAE EX AVG.

excellentius diligatur, quoniam propter hoc amandum est, quicquid aliud est amandum. Quia vero beatus esse non potest, nisi qui eam ut dignū est amet, consequens est ut eam æternam velit, quæ tunc vere beata erit quando terminū non habebit.

¶ Quod solus deus bonus sit. **CLV.**

Non omnes quidē mali in hoc ꝑficiunt, ut sint boni: nemo tamen est, nisi ex malo bonus.

¶ De ciuibus terrenis. **CLVI.**

Ciues terrene ciuitatis parit peccato vitiata natura, qui sunt vasa ire. Ciues ergo cælestis patriæ parit a peccato naturam liberans gratia, qui sunt vasa misericordiæ.

¶ De ira dei. **CLVII.**

Ira dei non perturbatio est eius, sed iudicium quo irrogatur pœna peccato. Cognitio vero ipsius, & *u. Re. . is.* recogitatio mundanarum rerum est incommutabilis ratio. Neque enim sicut hominem, ita deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius de omnibus omnino rebus tam fixa est sententia, quā certa præsentia est.

¶ De persequentibus ecclesiam. **CLVIII.**

Inimici ecclesiæ quolibet modo errore cēsentur ut malitia deprauentur: si accipiant corporaliter potestatem affligendi, exercent eius patientiam. Si tantummodo male sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam. Et ut etiam inimici diligantur exercent eius benevolentiam: quia deus his qui eum diligunt omnia cooperatur in bonum.

¶ De fine boni & mali. **CLIX.**

Finis boni est, non quo consumitur ut non sit, sed



PER PROSP. ELECTAE.

Quo perficiatur ut plenum sit. Et finis mali est, non quod esse desinat, sed quousque nocendo perducatur. Unde verum est summum bonum, aliud autem summum malum. Illud propter quod appetenda sunt bona cetera, ipsum autem propter seipsum, hoc propter quod declinanda sunt mala cetera, ipsum autem propter seipsum.

¶ De natura.

CLX.

Est natura in qua nullum malum est, vel etiam nullum malum potest esse. Esse autem naturam in qua nullum bonum sit, non potest.

¶ De animi æquitate.

CLXI.

Melior est animi æquitas, quam corporis sanitas & convenientius iustus dolet in supplicio, quam lætus est in delicto.

¶ De præcepto charitatis.

CLXII

In præcepto charitatis tria inuenit homo quæ diligat: deum, & se, & proximum. Et quia ille in sui dilectione non errat qui deum diligit, consequens est ut proximo ad diligendum deum consulat, quem iubetur diligere sicut seipsum.

¶ De concordia & obedientia imperantium & subditorum.

CLXIII.

Pax domestica est ordinata cohabitantium imperandi, obediendique concordia. Imperant enim qui consulant. Sicut vir uxori, parentes filiis, domini seruis. Obediunt autem quibus consulitur: sicut mulieres maritis, filii parentibus, serui dominis. Sed in domino iusti uiuentes ex fide, & ab illa adhuc ciuitate peregrinantes etiam qui imperant seruiunt eis, quibus videntur imperare, quia non dominandi cupiditate imperant, sed

C



## SENTENTIAE EX AVG.

officio consulendi, nec principandi superbia sed, pudenti beneficio.

¶ De conditione seruitutis. **CLXIII.**

Ioan. 8. Nomen & conditionem seruitutis culpa genuit non natura: & prima huius subiectionis causa est peccatum, quia sicut scriptum est. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Vnde melior est eius status qui famulatur homini, quam qui suae seruitur cupiditati.

¶ De praelatis. **CLXV.**

Veri patres familias subditis suis tanquam filiis ad colendum & promerendum deum consulunt, desiderantes venire ad caelestem domum, ubi imperandi necessarium non fit officium, quo donec veniatur, magis debent patres qui dominantur quam serui tolerare qui seruiunt.

¶ De regimine populi. **CLXVI.**

Locus superior sine quo regi populus non potest: etiam si ita sit tenendus atque administrandus ut decet: tamen indecenter appetit, unde otium sanctum quaerat, quaerat directionem veritatis, negotium iustum suscipiat necessitas dilectionis.

¶ De vita animae. **CLXVII.**

Sicut non est a carne, sed supra carnem quod eam facit vivere sic non est ab anima, sed supra animam quod eam facit vivere beate: quia ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis deus est.

¶ De venia unde constat beata vita. **CLXVIII.**

Iustitia nostra quamuis vera sit, propter verum boni finem ad quem refertur, non tamen tanta est in hac vita ut potius per remissionem peccatorum constet



PER PROSP. ELECTAE.

quàm per fidem virtutū.

¶ De plena pace.

CLXIX.

Quandiu vitijs repugnatur, plena non est pax, quæ illa quæ resistunt periculo debellatur prælio, & illa quæ victa sunt, nondum securo triumphantur ocio, sed adhuc sollicito premuntur imperio.

¶ De prima & secunda morte. CLXX

Prima mors animam nolentem tollit à corpore, secunda animam nolentem tenet in corpore. Ab vtraque morte id habetur, vt quod nō vult anima de suo corpore patiatur.

¶ De causis incognitis in causis dei.

CLXXI.

In cognitis causis operæ dñi non nihil nouimus, cū scimus non sine ratione oīpotentē facere, verū infirmus humanus animus rationē nō potest reddere.

¶ De negligentijs.

CLXXII.

Frustra homo post hoc corpus hic promittit sibi quod in hoc corpore comparare neglexerit. Nemo inuitus bonū facit, etiam si bonum est quod facit, quia nihil pdest spūs timoris, vbi nō est spiritus charitatis.

¶ De humana societate.

CLXXIII.

Sicut in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita deus omnibus.

¶ De diligendo deo.

CLXXIII.

Beatus qui diligit deum, & amicum in deo, & inimicum propter deum. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui nunquam ante dimittit te, nisi dimittatur.

C ij.



## SENTENTIAE EX AVG.

¶ De non corrupendis. CLXXV.

Manifestum est, quoniã bona sunt quæ corrupuntur, neq; si bona non essent corrumpi possent, quia & si summa bona essent, incorruptilia essent, si autẽ nulla bona essent, quod in eis corrumpetur non esset.

¶ De incommutabili deo. CLXXVI.

Cum deus incommutabiliter bonus, omnes fecerit creaturas bonas, nec vlla, omnino nisi ab ipso sit creata natura, nulla est substantia mali: quia quod autorem deum non habet, nõ est aliud q̃ desiderium vel actio inordinate voluntatis.

¶ Quod iustitia iniquis odiosa fit. CLXXVII.

Sicut palato non sano pœna est cibus quæ sano sua vis est: & oculis egris odiosa lux, qua in columis gaudet obtuitus, ita displicet iniquis iustitia dei, cui si subijcerentur non conturbarentur.

¶ De egritudine animi. CLXXVIII.

Egritudo animi rationalis est, cum bonis inferioribus delectatus, superiora nõ appetit, & ex parte nõ amittit. Ideoq; in duas diuiditur voluntates, cumq; vna est, rota nõ est, & hoc adest vni qd deest alteri.

¶ De homine religioso. CLXXIX.

Homini religioso par esse debet inimicitias aliorũ nõ excitare vel augere, male loquendo, nisi etiam eas extinguere studeat bene loquendo.

¶ De veritate odiosa. CLXXX.

Beata vita est gaudium de veritate quod deus est, sed multis veritas odiosa est, quam audire nolunt docentem, & nolentes falli, volunt mendacia sua veritatem



PER PROSP. SELECTAE

rem videri. Quibus iuste retribuitur, vt ipsi veritatem non lateant, ipsos aut lateat veritas.

¶ De forti patientia. CLXXXI.

Nemo quod tolerat amat, & si tolerare amat, quia aliud est fortis patientia, aliud secura felicitas. Non eiusdem est temporalis labor pugnae, & beatitudo victoriae.

¶ De copiosa egestate in oratione. CLXXXII.

Ideo plerumque in sermone copiosa est egestas humanae intelligentiae: quia plus loquitur inquisitio quam inuentio: & longior est petitio quam impetratio.

¶ De aeternitate. CLXXXIII.

Vera aeternitas dei est, qui solus habet immortalitatem, quam ex nulla specie morum mutat, nec temporalis est voluntatis. Non enim immortalis est voluntas, quae alia, & alia est.

¶ De non desperandis peccatoribus. CLXXXIII.

Non est desperandum de malis, sed pro ipsis vt boni fiant studiosius supplicandum, quia numerus sanctorum semper de numero impiorum auctus est.

¶ Qualiter pax a deo quaeratur.

CLXXXV.

Quaerens a deo pacem, sit sibi ipse pacatus, ne aliud in professione oris, aliud sit in cordis arcano. Nihil enim prodest hoc esse in corde quod verum est, si hoc dicitur voce quod falsum est: quia veritas & credenda est & loquenda.

¶ Ne iuste flagellatus doleat. CLXXXVI.

C iij



SENTENTIAE EX AVG.

Non quaeratur homo quando in his quae iuste habet, patitur aliquas aduersitates: per amaritudinem enim inferiorum docetur amare meliora, ne viator tendens ad patriam, stabulum pro domo diligat.

¶ Ut peccator sibi displiceat. CLXXXVII.

Bene currit ad remissionem peccatorum qui displicet sibi. Apud enim iustum iudicem & misericordem, qui se accusat, excusat.

¶ De quaerendis praesidijs in pace.

CLXXXVIII.

In tranquillitate pacis comprehendenda est doctrina sapientiae quae inter tribulationum turbines difficulter agnoscitur. Nec facile inueniuntur in aduersitate praesidia quae non fuerint in pace quaesita.

¶ De altari dei duplici. CLXXXIX.

Ad altare dei inuisibile, quo non accedit iniustus, ille peruenit qui ad hoc praesens iustificatus accedit. Inueniet enim illic vitam suam qui hic discreuerit causam suam.

¶ De lege.

CXC.

Finis legis Christus est, in quo lex iustitiae non consumitur sed impletur. Omnis enim perfectio est in ipso ultra quem non est quo se spes fidei & charitatis extendat.

¶ De mala conscientia.

CXCI.

Nullae poenae grauiiores sunt quam male conscientiae in qua non habetur deus, consolatio non inuenitur, & ideo inuocandus est liberator, ut quem tribulatio exercuit ad confessionem, confessio pducatur ad veniam.

¶ De aegro interficiente medicum.

CXII.

192



PER PROSP. SELECTAE

Quid grauius p̄ctō egri, q̄ interfectio medici? Sed cū in baptismo hoc dimittitur quid non dimittitur?

¶ De ruminante verbum dei. CXCIII.

Auditor verbi similis debet esse animalibus, quæ ob hoc quod ruminant munda esse dicuntur, & non pigreat cogitare de his quæ in alio cordis accepit, & cum audit, fit similis ædenti, cum vero audita in memoriã reuocat, fit similis ruminanti.

¶ De anima rationali. CXCIII.

Rationalis anima est domina corporis sui, quæ in feriori non bene imperabit, nisi superiori se deo tota charitatis subiectione seruiert.

¶ De misericordia dei. CXCIV.

Sicut terra de cælo expectat pluuiam & lucem, sic homo ex deo debet expectare misericordiam & veritatem.

¶ De bonis ecclesiæ filiis. CXCV.

Gaudendum est bonis ecclesiæ filiis, quia in discretionem eorum non fallitur diuina iustitia. Sed non temere congregatos diuidant: quia ipsorum est velle colligere deum vel separare.

¶ De terreno amore rerum. CXCVI.

Dominus est rerum quæ habet, qui nulla cupiditate illuditur. Nam qui amore terrenorum obstringitur, non possidet, sed possidetur.

¶ De hereditate Christi. CXCVII.

Hæreditas in qua Christi cohæredes sumus, non minuitur multitudine filiorum: nec fit angustior numerositate cohæredum. Sed tanta est multis, quanta est paucis: tanta singulis, quanta omnibus.

Ciii



SENTENTIAE EX AVG.

¶ De felicitate. CXCIX.

Nunquam securus debet esse felicitas, quia periculosiora sunt animo securus, quam corpori aduersa: prius enim corrumpunt prospera ut inueniant aduersa quae frangant.

¶ De remedijs poenitentiae. CC.

Prima salus est declinare peccatum, secunda non desperare de venia. Nam ipse se in aeternum perimit, qui apud misericordem iudicem ad poenitentiae remedia non recurrit.

¶ De bonis & occultis sanctorum.

CCI.

Boni latent, quia bonum ipsorum in occulto est, nec visibile est, nec corporale est, quod diligunt, & tamen merita eorum sunt in abscondito constituta quae premia.

¶ De inimicis bonorum. CCII.

Nullus bonorum inimicum habet, nisi malum, quod ideo esse permittitur, ut aut corrigatur, aut per ipsum bonis exerceatur. Orandum est ergo pro inimicis ut aut obtineatur eorum conuersio, aut in nobis inueniatur diuinae bonitatis imitatio.

¶ De vigore fidei Christianae. CCIII.

Vigor fidei Christianae tribus temporibus initatur: vespere mane, & meridie. Vespere enim dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione. Vnum ad patientiam occisi, aliud ad vitam resuscitati, tertium pertinet ad gloriam maiestatis in patris dextera confidentis.

¶ De purgandis electis. CCIIII.

Ad hoc excoquunt homines tribulationibus, ut va-



PER PROSP. SELECTAE

sa electiōis euacuentur nequitia & impleantur gratia.

¶ De bonis quæ nemo amittit  
inuitus. CCV.

Potest homo inuitus amittere temporalia bona,  
nunquam vero nisi volens perdit æterna.

¶ De fine fidelium. CCVI.

Finis fidelium Christus est, ad quem cum peruene-  
rit currentis intentio, non habet quod possit ampli-  
us inuenire, sed habet in quo debeat permanere.

¶ De tristitia. CCVII.

Melior est tristitia iniqua patientis, quam lætitia  
iniqua facientis.

¶ De peccatis præteritis. CCVIII.

Reuocandus est animus ad recordandum cum quæ-  
dam delectatione de præteritis, ne surrepente concu-  
piscencia redeamus corde in Aegyptum.

¶ De veritate. CCIX.

Bonum est à veritate vinci. Ad correptionem supe-  
ret veritas nolentem. Nam & inui u ipsa superabis.

¶ De impunitate peccatorum. CCX.

Peccata siue parua siue magna impunita esse non  
possunt, quia aut homine pœnitente, aut in iudicio  
deo iudicante plectuntur. Cessat autem vindicta di-  
uina, si conuersio præcurrat humana. Amat enim de-  
us cōfitentibus parcere, & eos qui semetipsos iudicāt  
non iudicare.

De misero. CCXI.

Nullus miser de qualicunq; miseria liberatur, nisi  
qui dei misericordia præuenitur.



## SENTENTIAE EX AVG.

¶ De remedijs tribulationum. CCXII.

Fideliter supplicans deo pro necessitatibus huius vitæ, misericorditer non auditur. Quid enim infirmo vtile fit magis, nouit medicus quam egrotus. Si enim id postulat quod deus præcipit & promittit, fiet omnino quod poscit, quia accipiet charitas quod parat veritas.

¶ De profectu bonorum. CCXIII.

Profectus fidelium sine tētatione non euenit: nec sibi quisquam innotescit, nisi probationis examine. Nec coronabitur, nisi qui vicerit, nec vincet, nisi qui certauerit, nec certabit, nisi inimicum habens, & tentationi resistens.

¶ De prophetis implendis. CCXIII.

Stultus est qui non denuntiationibus prophetarum in paucis restant, cum uideat tam multa cōpleta quæ tunc nō erant, quādo prædicebant implenda.

¶ De idolis. CCXV.

Sic sunt qui colunt idola, quomodo qui in somnis vident vana. Si autem euigilet anima ipsorum intelligit à quo facta fit, & non colit quod ipsa fecit.

¶ De corporibus humanis. CCXVI.

*Prosumtu*  
Omnia corporis nostri quæ discretæ vel putrefacta vel cōcremata in quasdam dissoluuntur fauillas, deo perire non possunt. In illa eñ elementa mundi eunt, vnde sumpta sunt, illa manu quæ donat omnia.

¶ De siti bona. CCXVII.

Qui deficiunt, tota sua debent sitire substantia, id est anima & carne: quia etiam deus dat panem suū, id est verbū veritatis: & carni necessaria deus præbet, quæ



PER PROSP. SELECTAE

Vtraque ipse pascit, qui vtraque fecit.

¶ De meditatione fidelum in ocio & actione. **CCXVIII.**

Qui ociosus & quietus non cogitat deum, inter actus multos & laboriosa negotia de illo quomodo poterit cogitare? Meditetur ergo quæ dei sunt fidelis cum vocat & bene operandi substantiam, ne in actione deficiat.

¶ De simulata innocentia. **CCXIX.**

Simulata innocentia, non est innocētia. Simulata equitas, nō est æquitas, sed duplicatur peccatum in quo & iniquitas & simulatio est.

De lumine. **CCXX.**

Animam recedens à luce iustitiæ, quanto magis querit quod inueniat contra iustitiam, tanto plus repellitur à lumine veritatis, & in tenebrosa demergitur.

¶ De duabus ciuitatibus. **CCXXI.**

Duas in toto mundo ciuitates, faciunt duo amores: Ierusalem facit amor dei Babyloniam facit amor seculi. Interroget se ergo quisque & inueniet vnde sit ciuis.

¶ De præcepto dei. **CCXXII.**

Omne præceptum dei leue est amanti. Nec ob aliud intelligitur dictum. Onus meum leue est, nisi quia Mat. 23 per spiritum sanctum diffunditur charitas in cordibus nostris, vt diligendo liberaliter faciamus, quia quod quis timendo facit, seruiliter facit. Nec est animus rectus quando mallet si fieri posset, id quod rectum est, non iuberi.

¶ De charitate. **CCXXIII.**



## SENTENTIAE EX AVG.

**Rom. 13.** Plenitudo legis est charitas, quia per charitatē lex impletur, non per timorem, in tantum eñ fiunt mandata iustitiæ, in quātum adiuuat spiritus gratiæ.

¶ De operibus bonis. **CCXXIIII.**

Non sunt bona opera, nisi quæ per fidem & dilectionem fiunt, quia alterum sine altero nullius virtutis fructum parit.

¶ De lapsu Adam. **CCXXV.**

**Psal. 76.** Ab eo quod formauit deus, mutatus est Adam, sed in peius propter iniquitatē suā. Ab eo quod operata est iniquitas, mutantur fideles, sed in melius per gratiam dei. Illa ergo mutatio fuit præuaricatoris primi, hæc mutatio dexteræ est excelsi,

¶ De temporalibus delitijs & pœnis. **CCXXVI.**

In præsentī vita & delitiæ temporales dulces sunt, & tēporales tribulatiōes amaræ sunt. Sed quis nō bibit tribulatiōis poculum, metuens ignem gehēnæ? Et quis non contēnat dulcedinem seculi, inhians bonis æternæ vitæ?

¶ De trinitate. **CCXXVII.**

In trinitate diuina tanta est substantiæ vnitas vt æqualitatem teneat, pluralitatem non recipiat.

¶ Quod mala sint creata.

**CCXXVIII.**

**Ioan. 1.** Omnia per verbū facta sunt, & sine ipso factū est nihil. Cum itaq; vniuersæ naturæ per verbū dei factæ sunt, iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitas nulla substantia est: & pētīm non est natura sed vitium naturæ, id appetens quod non est ordinis sui.



PER PROSP. SELECTAE.

¶ De iniquitate diaboli. CCXXIX.

Sublatum est diabolo iniquitate sua victo, non quod non habuit proprium, sed quod rapuerat alienum. Auferendo enim Christus de magna domo eius quae perierant, non furtum fecit, sed furtum recepit.

¶ De profunditate iniquitatis. CCXXX.

Tunc hominem concludit profunditatis iniquitas, quando non solum immerfus peccatis iacet, sed etiam volens ea defendere perdit confessionem & aditum confessionis.

¶ De auxilio dei. CCXXXI.

Quando deus permittit aut facit ut aliqua tribulatione vexemur, tunc misericors est, quia excitans fidem & differens in opere, non auxilium negat, sed desiderium mouet.

¶ De Christianis. CCXXXII.

Diuites Christiani, si veri Christiani sunt, prorsus pauperes sunt: & in comparatione caelestium bonorum quae sperant, omne aurum suum arenam deputant, quia ibi quisque habet diuitias suas, ubi delectationem.

¶ De fide Abrahæ. CCXXXIII.

Fides Abrahæ, semen est Abrahæ. Proinde qui pertinent ad credulitatis similitudinem, ipsi pertinent ad heredum promissionem.

¶ De perseverantia in bono. CCXXXIII.

Nemo fidelium quamuis multum profecerit, dicata sufficit mihi. Qui enim hoc dixerit, remansit & hesit in via ante finem, qui non perseverauerit usque in finem.

¶ De Deo. CCXXXV.



## SENTENTIAE EX AVG.

Nullus in deo loc<sup>9</sup> est, nec est quo fugiatur ab ipso nisi ad ipsum. Qui vult euadere offensum, confugiat ad placatum.

¶ De duabus vitis. **CCXXXVI.**

Duæ vitæ sunt, vna corporis, altera animæ. Sicut vitæ corporis, animæ: ita vitæ animæ, deus. Et quomodo si anima deserat mori corpus, sic anima mori si deserat Christus.

¶ De homine. **CCXXXVII.**

A quo habet homo ut sit, apud illum habet ut ei bene sit.

¶ De obedientia. **CCXXXVIII.**

Perfecte deusevidenterque monstravit quantum sit bonum obedientia: cum hominem in paradiso positum ab ea re prohibuit quæ non erat mala. Sola ibi obedientia potuit tenere palmam, sola incidit in poenam.

¶ Quomodo erudiantur boni.

**CCXXXIX**

Interdum deus per malos erudit bonos, & per temporalem potentiam damnandorum exercet disciplinam liberandorum.

¶ De confessione. **CCXL.**

Apud misericordiam dei plurimum valet confessio poenitentis, qua facit peccator confitendo propitium, quæ negando non facit nescium.

¶ De scientia. **CCXLI.**

Humilius virtus est de scientia non gloriari quia communis est omnibus sicut lucis, ita participatio veritatis.

¶ Qualiter regantur corpora. **CCXLII.**

Non caret regia potestate qui corpori suo noverit rationabiliter imperare. Vere dominator est terre, qui carnem suam regit legibus disciplinae.



PER PROSP. SELECTAE.

¶ De pœna & iustitia. CCXLIII.

Quantum ad opera attinet quæ forinsecus agunt  
& qui timet pœnam, & qui facit iustitiam, non faciunt  
contra mandatum, & ideo quidem pares sunt manu  
sed dispares corde: similes actiōe, dissimiles volūtate.

¶ Quid diligatur. CCXLIIII.

Hoc ab homine colitur quod diligit. Vnde quia de  
us omnibus rebus maior & melior inuenit, plus omni  
bus diligendus est vt colatur.

¶ De corde. CCXLV.

Rectū cor cum deo est, qñ propter deū q̄rit deus.

¶ De beneuolentia. CCXLVI.

De beneuolētia est non de malicia, cum letatur iu  
stus in impios, p̄cessisse v̄dictam: q̄a non ei exilium  
p̄tōris placet, quē voluit corrigi, sed iustitia dei, quæ  
scit multos posse conuerti.

¶ De simulatione. CCXLVII.

Non vincit in bono malum, qui in superficie bo  
nus est, & in alto malus: & opere parcens, corde saui  
ens, manu mitis, voluntate crudelis.

¶ De opere amoris & timoris.

CCXLVIII.

Ad omne opus bonum amor ducit & timor dei.  
Ad om̄ne peccatū amor ducit & timor mundi. Vt er  
go apprehendatur bonū, & declinetur malū discernē  
dum est, quid diligere debeat & quid timeri

¶ De felicitate. CCXLIX.

Nulla infelicitas frangit, quē nulla felicitas corrūpit.

¶ De diuite paupere. CCL.

Diues qui talis est vt contemnat in se quicq̄ illud



SENTENTIAE EX AVG.

est vnde inflari superbia solet pauper est dei.

¶ De ascensu ad deum. CCLI

Ascensionum ad deum gradus, sunt pietatis affectus. Iter tuum est tua voluntas: amando accedis negligendo recedis, constitutus in terra deo iungeris quia quæ deo chara sunt diligis.

¶ De petitionibus contrarijs deo. CCLII

Deus cum male aliquid poscitur, dando irascitur non dando miseretur.

¶ De mendacio. CCLIII.

Incredibile est non mentiri hominem ne capiatur, qui mentitur vt capiat.

¶ Item de mendacio. CCLIII

Quamuis omnis qui mentitur velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult celare verum, mentitur. Plerumque enim non fallendo vera occultamus, sed tacendo. Non enim mentitus est qui ait. **Ioan. 16** Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.

¶ De arbitrio. CCLV.

In primo homine patuit, quod hominis arbitriū valeret ad mortem. In secundo autem, quod dei adiutorium valeret ad vitam. Primus enim homo, non nisi homo, secundus vero homo, deus & homo. Peccatum ergo factū est relicto deo, iustitia nō fit sine deo.

¶ De lege & peccato. CCLVI

Legis litera quæ docet non esse peccandū, si spūs viuificator desit, occidit. Scire enim peccatum potius facit quā cauere, & ideo magis augeri quā minui: quia male cōcupiscētiæ & p̄uaricatio legis accedit.



PER PROSP. SELECTAE

¶ De mandato dei & timore. CCLVII.

Mandatū dei si timore potius pœnæ q̄ amore iustitiæ fit, seruiliter non liberaliter fit, & ideo nō fit. Non em̄ eius fructus bonus est q̄ nō de charitate p̄cedit.

¶ De lege in natura. CCLVIII.

Lex dei s̄m naturā est, & cum homines q̄ legis sunt faciūt, naturaliter faciūt superato vitio, quod nec p̄gr̄sidium legis abstulerat. Cum itaq; per gratiā lex dei in cordibus scribitur, quæ legis sunt naturaliter fiūt: non quia per naturam præuenta fit gratia, sed quia per gratiam reparata est natura.

Rom. 20

¶ De gloria non habenda nisi in deo. CCLIX.

Nemo ex eo quod videtur habere gloriatur, quasi nō accepit: & ideo putet se accepisse, quia litera extrinsecus, vel vt legeretur apparuit, vel vt audiretur insonuit. Nam si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Ascendens in altum captiuā duxit captiuitatē, dedit dona hominibus. Inde habet, quæcunq; habet. Quisquis aut̄ inde se habere negat, aut non habet, aut id quod habet auferetur ab eo.

1. Col. 40

Gala. 20  
Psal. 60

¶ De superbia inobedientiæ. CCLX.

Homo factus erat immortalis, deus esse voluit, non perdidit q̄ hō erat sed p̄didit q̄d immortalis erat: & de inobediētiæ superbia contracta est pœna naturæ.

¶ De laude fidei. CCLXI.

Laus fidei est non visa credere, p̄m̄ium erit creditorum adeptione gaudere.

¶ De sapientia in contemplando.

CCLXII.

D



## SENTENTIAE EX AVG.

Sicut lac non transit nisi per carnem, ut paruulum pascat qui panem edere non potest, sic nisi sapientia dei, quæ panis est angelorum, ad homines dignaretur venire per carnem, nemo ad verbi diuinitatem contemplandam posset accedere. Quia ergo lux à tenebris non poterat comprehendi, ipsa lux mortalitatē subiit tenebrarum, & per similitudinem carnis peccati, participationem dedit luminis veri.

¶ De bona fama. CCLXIII.

Odor bonus fama bona est, quam quisque bonæ vitæ operibus haurit: dum Christi vestigia sequitur, pedes quodammodo eius pretiosi vnguenti odore perfundit.

¶ De cupiditate. CCLXIII.

Non est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas, & ideo id solum recte diligitur quod nunquam bene amittitur.

¶ De eloquentia insipientis. CCLXV.

Quia affluit insipienti eloquentia, tanto magis cauendus est, quanto magis ab eo in his quæ audire inutile est delectatur auditor, & eum quem ornate dicere audiuit, & vere dicere existimat.

¶ De ingenio. CCLXVI.

Bonorum ingeniorum clara est indoles, in verbis differentium verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quoniam nihil quaerimus nisi patere quod clausum est?

¶ De homine peccatore. CCLXVII.

Omnis peccator in quantum peccator, non est diligendus, & omnis homo in quantum homo diligen-



PER PROSP. SELECTAE

deus est propter deum, deus vero propter seipsum, à quibus omnes habent qui eum diligunt, & quod sunt, & quod eum diligunt.

De incommutabili bono. CCLXVIII.

Dominus ait, Ego sum via, veritas & vita. Hoc est per me venit, ad me peruenit, in me manet. Cū enim ad ipsum peruenit, etiam ad patrem peruenit, quia per æqualem ille cui æqualis est cognoscitur, vinciente atque glutinante nos spū sancto, vt in summo atque incommutabili bono sine fine maneamus.

De mendacio & fallacia. CCLXIX.

Multos autem inuenimus qui fallere velint, quod autem falli, nemine. Cū vero hoc sciens faciat alius, alius nesciens patiat, satis apparet in vna eademque re, illum qui fallitur, eo qui mentitur esse meliorem, quando quidem pati melius est iniquitatem, quam facere.

De diligendis æternis bonis & temporalibus. CCLXX.

Inter temporalia atque æterna hoc interest, quod temporalia plus diligantur antequam habeantur, vilescunt autem cū aduenerint. Non enim satiat animum, nisi incorruptibilis gaudij vera & certa æternitas. Aeternū vero ardētius diligitur adeptū quam desideratū. Nemo enim plus de illo æstimat quam se habet, ne fiat vilis quod paratū est amplius. Sed tanta est ibi excellētia, vt multo plus sit adeptura charitas, quam fides credidit, vel & spes desiderauit.

De fame & inedia spiritali in scripturis. CCLXXI.

Qui in scripturis sanctis non inueniunt charita-



## SENTENTIAE EX AVG.

tem quã q̄runt, fame laborant: qui aut̄ non q̄runt q̄d in promptu habent, fastidij languore marcescunt, & par vtrorunq̄ue periculum est, dum sapientiã cibum & illis obcecatio, & his inedia subtrahit.

### ¶ De laboribus peccatorum. CCLXXII.

Non sunt condignę passionēs huius temporis ad superuenturam gloriam quę reuelabitur in nobis. Sequiat & fremat mundus, increpet linguis, coruscet armis: quidquid fecerit, quantulum erit ad illud quid accepturi sumus? Appēdo q̄d patior cōtra id q̄d spero, hoc q̄d sentio, illud spero & tñ incōparabilē maius est quod speratur, quã quod aufertur. Quicquid est quod contra Christi nomen seuit, si potest vinci, tolerabile est: si non potest, proficit p̄mio citius consequendo, & fidelis sine temporalis mali transit in perceptionem æterni boni.

### ¶ De Charitate. CCLXXIII.

Cum in duobus p̄ceptis charitatis tota lex pendeat & propheta, quanto magis est euangelium, quo lex non soluitur sed adimpletur, & de quo dominus dicit, Mādatum nouum do vobis vt diligatis inuicē. Charitas enim innouat homines, & sicut malignitas veteres, ita dilectio nouos facit.

### ¶ De flagello dei. CCLXXIII.

Quando corripit deus genus humanum, & flagellis pię castigationis exagitat, exercet ante iudicium disciplinam, & plerunq̄ue diligit quem flagellat, nolens inuenire quem damnet. Flagellat autem iustos



PER PROSP. SELECTAE

simul & iniustos, quia nemo qui possit gloriari mundum se habere cor, aut mundum se esse à peccato. Ita de gratia misericordiae eius veniunt, etiam coronae iustorum.

De passionibus fidelium. CCLXXV.

Labor piorum exercitatio est, non damnatio. Nec enim conturbare debemus, cum aliquis sanctus graua & indigna perpetitur, si oblitum non sumus quae pertulerit iustus iustorum, sanctusque sanctorum, cuius passio omnes superat passiones, quia cum autore vniuersitatis nulla cuiusque est comparatio creaturae.

De originali peccato. CCLXXVI.

Miseria generis humani, cuius nullum hominum ab exortu vsque ad obitum videmus alienum, non pertineret ad iustum omnipotentis iudicium, si non esset originale peccatum.

De prudentia dei semper operantis.

CCLXXVII.

Creatoris omnipotentis omnipotentia, est causa subsistendi omni creaturae: quae virtus si ab eis quae condidit regendis aliquando cessaret, simul omnium rerum species & natura concideret. Proinde quod dominus ait, Pater meus vsque nunc operatur, quandam continuationem operis eius qua simul omnia continet atque administrat, ostendit. In quo etiam opere sapientia eius perseuerat, de qua dicitur: Pertingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Idem etiam apostolus sentit, cum Atheniensibus predicans ait: In quo viuimus, mouemur & sumus. Quia si opus suum rebus creatis subtraheret, nec viuere, nec



## SENTENTIAE EX AVG.

moueri, nec esse possemus. Et ideo sic deus intelligēd<sup>r</sup>  
est requieuisse ab omnibus operibus suis, vt iam nullā  
nouam conderet creaturam, non vt conditas conti-  
nere & gubernare cessaret.

### ¶ De vero sabbato. CCLXXVIII.

Observatione sabbati, quæ vacatione vnus diei fi-  
gurabat ablata, ppetuū sabbatū obseruat, qui spe futu-  
re quietis, sc̄tis opibus intētus, nec in ipsis actibus suis  
quasi de pprijs & de his quæ nō acceperit gloriatur,  
& illum in se operari cognoscit, qui simul operatur &  
operando quietus est.

### ¶ De requie dei. CCLXXIX.

Requies dei recte intelligentibus ea est, quæ nullius  
indiget bono. Et ideo certa requies nobis in deo est,  
quia beatificamur bono quod ipse est, non ipse eo qd  
nos sumus. Nam & nos aliquid bonum ab ipso su-  
mus, qui fecit omnia bona valde, in quibus fecit &  
nos. Porro alia res bona præter ipsum nulla est quā  
ipse non fecit, ac per hoc nullo bono alieno eget, qui  
bono quod fecit non eget.

### ¶ De temporum initio. CCLXXX.

Facta creatura, motibus cœperunt currere tempo-  
ra. Vnde añ creaturā frustra tpa requirunt, q̄si possint  
inueniri añ ipsa tpa. Motus em̄ si nullus esset vel spiri-  
talis vel corpalis creature, quo p̄sens p̄teritis futura  
succederent, tp̄s nullū oīno eēt. Moueri aut̄ creatura  
nō vtiq; posset, si nō esset. Potius aut̄ tp̄s à creatura  
q̄ creatura cœpit ex tpe, vtrunq; aut̄ ex deo. Ex ipso  
em̄ & per ipsum & in ipso sunt omnia.



PER PROSP. SELECTAE

¶ Omnia dei arbitrio regi. CCLXXXI.

Cum saluator dicat vnum passerem non cadere in terrā sine voluntate dei, & quod fœnum agri quod post paululum mittendum est in clibanum, ipse tamē formet ac vestiat, sic confirmat non solum istam partem mundi rebus deputatam, verum etiam vilissimas abiectissimasq; particulas diuina prouidentia regi, ne fortuitis perturbari motibus ea quorum causas comprehendere non possumus, æstimemus.

¶ De anima rationali. CCLXXXII.

Anima rationalis in ea debet regi, quæ spiritalium naturam maxime excellunt, & quæ sursum sunt sapient, non quæ super terram.

¶ De miraculis naturalibus.

CCLXXXIII.

Naturarum conditor deus nihil in miraculis contra naturam facit, nec quod nouum est consuetudini repugnans est rationi. Nobis ergo videntur contra naturā insolita, quibus aliter naturæ cursus innotuit, nō autem deo, cum hoc est natura quod fecerit.

¶ De incommutabili mutatione animæ

in corpus. CCLXXXIII.

Omne corpus in omne corpus posse mutari credibile est, quodlibet autem corpus in animam rationalem posse conuerti, credere absurdum est. Quā deus sic est omnipotens, vt nunquam suę rationis instituta conuellat.

¶ De merito.

CCLXXXV.

Sicut aer ex p̄senti lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset, non autem fieret, etiā absen-

D iij.



## SENTENTIAE EX AVG.

te lumine lucidus pmaneret. Sic homo praesente deo illuminatur, absente autem tenebratur, à quo non locorum intervallis, sed voluntatis auersione discedit.

¶ De utilitate hominis obediendo deo in incognitis. CCLXXXVI.

Magna est utilitas hominis iubenti deo, etiam incognita ratione iussionis seruire. Iubendo enim deus utile facit quicquid iubere voluerit, de quo metuendum non est, ne non profutura praecipiat, nec fieri potest ut voluntas propria non grandi ruinae pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo praeponat.

¶ De natura humana in excellentia adherendo deo. CCLXXXVII.

Quam excellens bonum natura humana fit, hoc maxime apparet, quod datum ipsi fit ut possit summi & incommutabilis boni adherere naturae. Quod si noluerit, bono se priuat, & hoc ei malum est. Unde per iustitiam dei etiam cruciatus consequitur. Quid enim tam iniquum, quam ut desertori boni bene fit? Aliquando amissi superioris boni non sentitur malum, dum habet quod est amatum inferius bonum. Sed diuina iustitia est, ut qui voluntate amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, & naturarum creator ubique laudetur. Adhuc enim bonum est quod dolet amissum bonum. Nam nisi aliquid bonum remansisset in natura, nullius amissi boni dolor esset in poena.

¶ De potestate nocendi. CCLXXXVIII.  
Nocendi cupiditas potest esse à suo cuiusque animo



PER PROSP. SELECT.

praua. Non est autem potestas nisi à deo, & hæc abdita altaq; eius iustitia, quoniam nō est iniquitas apud deum.

¶ Quantum & quale bonum fit deus.

CCLXXXIX.

Quantum & quale bonum fit deus, etiam ex hoc euidenter ostenditur, quod nulli à deo recedenti bene est, quia & qui gaudent in mortiferis voluptatib<sup>9</sup>, sine doloris timore esse non possunt. Et qui omnino malum desertionis suæ maiore superbię tumore non sentiunt, alijs qui hoc discernere nouerunt, quanta fit miseria apparet, vt si nolint recipere medicinam, talia deuitandi valeant ad exemplū quæ possunt habere.

¶ Quod nulla creatura mala fit in natura.

CCXC.

Sicut vera ratio docet, meliorem esse creaturam quam prorsus nihil delectat illicitum, ita eadem ratio, docet etiam illam bonam esse, quæ in potestate habet illicitam delectatiōem ita cohibere, vt non solum de cæteris licitis recte factis, verumetiam de ipsius prauæ delectationis coercitione letetur.

¶ De magnis operibus domini.

CCXCI.

Magna opera domini exquisita in omnes voluntates eius. Præuidet bonos futuros, & creat: præuidet malos futuros, & creat: seipsum ad fruendum præbet bonis, multa bonorum suorum largiens, etiam malis misericorditer ignoscens, iuste vlciscens, nihil metuens de cuiusquam malitia, nihil indigens de cuiusquam iustitia, nihil sibi consulens de operibus bono-

D v



## SENTENTIAE EX AVG.

rum, consulens autem bonis de pœnis malorum.

¶ De superbia & inuidia. CCXCII.

Cum superbia sit amor excellentiæ propriæ, inuidia vero sit odium felicitatis aliene, quod vnde nascatur in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet quod ei coæquentur, vel inferioribus ne sibi coæquentur, vel superioribus quod eis non coæquetur. Superbiendo ergo quisque inuidus, non inuidendo superbus est.

¶ De plenitudine diuinitatis in Christo.

CCXCIII.

Plenitudo diuinitatis dicta est in Christo corporaliter habitare, non quia diuinitas corpus est, sed quia sacramenta veteris testamenti appellantur vmbrae futuri. Propter vmbRARUM comparisonem corporaliter dicta est in Christo plenitudo diuinitatis habitare, quod in illo impleantur omnia quæ in illis vmbRis figurata sunt. Ac si quodammodo vmbRARUM præcedentium ipse sit corpus, hoc est, figurarum & significationum illarum ipse sit veritas.

¶ De vitis expugnandis. CCXCIII.

Actio in hac vita pia est, deum colere & eius gratia contra vitia interna pugnare, eisq; vsq; ad illicita instigantibus cogitationibus non cedere, & vbi ceditur indulgentiam, atque vt nō cedatur adiutorium dei affectu religiosæ pietatis exposcere. In paradiso si nemo peccasset, nō esset actio pietatis expugnare vitia: quia felicitatis esset mansio, vitia non habere.

¶ De fortitudine Christiana & gentiliū.

CCXCV.



PER PROSP. SELECT.

Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum dei charitas facit, que diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis, non per voluntatis arbitrium quod est à nobis.

¶ Vitium nisi in bono esse non potest.

CCXCVI.

Non potest esse vllum malum, nisi in aliquo bono, quia non potest esse nisi in aliqua natura. Omnis autem natura in quantum natura, bona est.

¶ Nullis vñs gratiam preueniri. CCXCVII.

Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant.

¶ De circuncisione & baptismo. CCXCVIII.

Circuncisio carnis lege præcepta est, quia non posset melius per Christum significari regeneratōis autorem tolli originale peccatum. Cū præputio quippe omnis homo nascitur, quæ admodum cū originali peccatō. Et die octauo lex circūcidī carnem præcepit, quia Christus die dñico resurrexit, qui post septimum sabbati octauus est. Et circūcisus præputiatū gignit, trañciens in illum quo ipse iam caruit, sicut baptizatus in filium quem genuerat carne, reatum trañcit originis, quo ipse iam liber est.

¶ De Adam primo & secundo. CCXCIX.

Primus homo Adam sic olim defunctus est, vt tñ post illū secūdus homo sit Chrs, cū tot milia omnium in illū & hunc orta sint, & ideo manifestū est pertinere ad illū oēm qui ex illa successione, ppagatus nascitur, sicut ad istū pertinet oīs qui græ largitate in illo rena-



## SENTENTIAE EX AVG.

scitur. Vnde fit vt totum genus humanum quodam modo sint homines, primus & secundus.

¶ De iudicijs dei. CCC.

Nulla modo iudicia dei comparanda sunt iudicijs hominum: quia nō dubitandum est esse iustum, etiā quando facit quod hominibus videtur iniustum.

¶ De natiuitate iustorum. CCCI.

Iustus ex deo, non ex hominibus nascitur: qm̄ renascendo, non nascendo fit iustus. Vnde etiam renati filij dei vocantur.

¶ De naturæ humanæ qualitate. CCCII.

Natura humana & si mala est, quia vitiata est: non tamen malum est, quia natura est, sine quo bonum nullum potest esse vitium, quā sine vitio possit esse vel nunq̄ vitiata vel sanata natura.

¶ De morte peccatorum. CCCIII.

Iustum dei iudiciū est, vt p̄ctō suo quisq̄ pereat, cū deus peccatū non faciat, sicut mortem nō fecit: & tamen quē dignum morte sensit, occidit. Vnde legitur: Mors & vita à deo ē. Quæ duo int̄ se cōtraria, p̄fecto videt quisquis ab operibus diuinis iudicia diuina discerni: quia aliud est creando non instituisse mortale, aliud iudicando plectere peccatorem.

¶ De pœna peccati. CCCIIII.

Deus quidē mundū fecit & corpora prorsus om̄ia. Sed vt corpus corruptibile aggrauet animam, & caro concupiscat aduersus spiritum, non est præcedens natura hominis instituti, sed consequens pœna p̄cti.

¶ De opere in quacunq̄ natura.

CCCV.



PER PROSP. SELECTAE

Quantislibet vitijs turpetur natura quaecunq; institutio eius semper est bona. Nam sicut institutio corporis bona est, etiam quando nascitur morbidus, & institutio animi bona est, & quando nascitur fatuus: sic institutio ipsius hominis bona est qñ nascitur originalis peccati obnoxius.

¶ De abolitione peccati. CCCVI.

Sicut quidam parentes aggrauant originale peccatum, ita quidam releuant, sed nullus tollit, nisi ille de quo dictum est: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi, cui nullum bonum hominis impossibile, nullum malum insanabile.

¶ De gratia dei, & neminē nisi miserante deo saluari. CCCVII.

Non ad merita hominum, sed ad dei misericordiā pertinet: cum ex illa massa primi hominis, cui mors merito debetur, quisq; liberatur. Non est enim iniquitas apud deum: quia in remittente non est exigendum quod debet iniustus. Et ibi gratuita est indulgētia, vbi iusta posset esse vindicta. Natura humana & si in illa integritate in qua condita est, maneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante seruaret. Vnde cum sine dei gratia salutem non posset seruare quam accepit, quomodo sine dei gratia potest recuperare quod perdidit?

¶ Nihil excusationis cōpetere pētōri. CCCVIII.

Inexcusabilis est omnis peccator vel originis reatu, vel additamento propriae voluntatis: siue qui nouit, siue qui ignorat, siue qui iudicat, siue qui non iudicat: quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere nolue



## SENTENTIAE EX AVG.

runt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in vtrisque non est excusatio, sed iusta damnatio.

¶ De his qui spiritu dei aguntur.

CCCIX.

Plus enim proculdubio est agi q̄ regi: qui eñ regit, aliquid agit: & ideo regitur vt recte agat. Qui autem agitur, agere ipse aliquid vix intelligitur. Et tantū prestat voluntaribus nostris gratia saluatoris, vt non dubitet Apostolus dicere: Quotquot spiritu dei agunt, hi filij dei sunt. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam vt illi se cōmendet qui mala agere non potest.

¶ De resurrectione.

CCCX.

Liberari à corpore mortis huius, omni sanato languore cōcupiscentiæ carnis, est non ad pœnam corpus recipere, sed ad gloriam.

¶ Nihil hominem posse sine deo.

CCCXI.

Multa bona facit deus in homine quæ non facit homo: nulla vero facit homo quæ deus non facit vt faciat homo.

¶ De vera iustitia.

CCCXII.

Iustitia secundū quā iustus ex fide viuit, qm̄ per spiritū gratiæ homini ex deo vera iustitia est, quæ licet non immerito in aliquibus iustis pro huius vitę capacitate perfecta dicatur, parua tñ est ad illā magnam quā capit æqualitas angelorū: quā Paulus qui nondū habebat, propter illam q̄ iam inerat, perfectū: & propter istā quę adhuc deerat, imperfectū se esse dicebat.



## PER PROSP. SELECTAE

Sed plane minor iustitia ista facit meritū: maior illa facit præmium. Vnde q̄ istam non sequitur, illam non assequetur.

### ¶ De mortalitate Christi secundum

carnem. **CCCXIII.**

Devno solo mediatore dei & hominum homine Christo Iesu fides catholica nouit, q̄ pro nobis mortem, id est, peccati pœnam sine peccato subire dignatus est. Sicut enim solus ideo fact⁹ est hominis filius, qui habuit sine meritis pœnā, sic nos per illū sine bonis meritis gratiam. Quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali. Commendans ergo dilectionem suam in eos quibus daturus erat indebitā vitā, pati p̄ eis indebitā mortem voluit.

### ¶ De natura & gratia. **CCCXIII.**

Sicut eis qui volētes in lege iustificari à gr̄a exciderūt verissime dicit Apostolus, Si ex lege iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est, sic eis qui gratiam commendant, præcipit fides Christi, fidem autem Christi putant esse naturam, verissime dicitur: Si per naturam iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est. Iam hoc enim lex erat & non iustificabat, iam hoc erat & natura, & non iustificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est: vt & lex per illum impleretur q̄ dixit: Non veni soluere legem, sed adimplere, & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit venisse se quærere & saluare quod perierat.

### ¶ De misericordia & iudicio.

**CCCXV.**



## SENTENTIAE EX AVG.

¶ Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem,  
nō est naturæ hominum. Habere autem fidem, sicut  
habere charitatem, gratiæ est fidelium. Sed cum volū-  
tas credendi alijs præparetur, alijs non præparetur à  
domino, discernendum est quid veniat de misericor-  
dia eius, quid de iudicio. Vniuersę enim vię domini  
misericordia & veritas. Inuestigabiles autem sunt vię  
ipsius. Inuestigabilis igitur & misericordia quę gratis  
liberat, & veritas quę iuste iudicat.

¶ De auxiliando. CCCXVI.

Nemo exigit quicquam ad id in quo ipse est, nisi in  
aliquantulum ad id in quo est descendat.

¶ De contemnenda mundi gloria.

CCCXVII.

Quas vires nocendi habeat humane glorię amor,  
nō sentit nisi qui ei bellum indixerit, quia si cuiquam  
facile est laudem nō cupere dum negatur, difficile est  
ea non delectari cum offertur.

¶ De temporalibus bonis relinquendis.

CCCXVIII.

Omnes mundi opes contemnit, qui non solū quā-  
tum potuit, sed etiam quantum voluit habere con-  
temnit. In quo cauendum est, ne surrepat elatio. Vri-  
lius enim terrena opulentia humiliter retinetur, quā  
superbię relinquitur.

¶ De cohibenda ira. CCCXIX.

Nulli irascenti videtur ira sua iniusta. Vnde ab  
omni indignatione cito redeundum est ad mansue-  
tudinis lenitatem. Nam pertinax motus facile



PER PROSP. SELECT.

in eius odium transit, cui non celeriter ignoscitur.

¶ De lege & gratia CCCXX.

Qui dedit legem, ipse dedit & gratiam: sed legē per seruum misit, cum gratia ipse descendit: vt quia lex ostendit peccata, non tollit: volentes suis viribus legem exequi nec valentes, cogantur ad gratiam quæ & impossibilitatis morbum, & inobedientię aufert reatum.

¶ De sabbato. CCCXXI.

Verum sabbatum Christianus obseruat, abstinēs se ab omni opere seruili, id est, à peccato: quoniā qui facit peccatum, seruus est peccati. Iohan. 8.

¶ De his quæ hominum propria sunt. CCCXXII.

Nemo habet de suo, nisi peccatum & mendacium. Si quid autem homo habet veritatē atq; iustitię, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo: vt ex eo quasi quibusdam guttis irrorati, non deficiamus in via.

¶ De inseparabili opere patris. CCCXXIII.

Quod pater cum Christo facit, Christus facit: & quod Christus cum patre facit, pater facit: nec seorsum facit: nec seorsum aliqd agit inseparabilis charitas: Sicut ipse dominus dicit: Ego & pater vnū sumus. Iohan. 10.

¶ Cui profit baptismi sacramentum. CCCXXIII.

Regenerationis gratiā ita etiā hi nō minuunt, qui eius dona non seruāt: sicut lucis nitore loca immundanō polluant. Qui ergo gaudes baptismi perce-

E



## SENTENTIAE EX AVG.

**Galat. 5.** p̄tiōe, viue in noui hoīs sanctitate: & tenēs fidē, quæ per dilectionē operat̄, habe bonū qd' nondū habes.

¶ De veritate. CCCXXV.

Sic est veritas Christus, vt totum verum accipitur in Christo, verum verbum dei deus, æqualis patri: vera anima: vera caro: verus homo: verus deus: vera natiuitas: vera passio: vera mors: vera resurrectio. Si aliquid horum dixer̄ falsum, intrat putredo, de veneno serpentis nascuntur vermes mēdaciōrū, & nihil integrum remanebit: quia vbi fuerit falsi alius corruptio, ibi veritatis integritas non erit.

¶ De charitate. CCCXXVI.

Tanta est charitas: quæ si desit, frustra habent̄ cætera: si assit, habentur omnia.

¶ Quomodo Christ⁹ reliquerit patrem & matrem. CCCXXVII.

**Philip. ii.** Reliquit Christus patrem: quia cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualē deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Hoc est enim: reliquit patrem: non quia deseruit, & recessit à patre, sed quia nō in ea forma apparuit hominibus, in qua æqualis est patri. Reliquit autē matrem, relinquendo synagogam Iudæorum: de qua secundum carnem natus est, inherendo ecclesiæ, quā ex omnibus gentibus congregauit.

¶ De cōparatiōe primi Adā & secūdi. CCCXXVIII.

Dormit Adā vt fiat Eua: morit̄ Ch̄rus vt fiat ecc̄sia. Dormiēte Adā fit Eua de latere. Mortuo Ch̄ro lancea pforat̄ lat⁹: vt supeffluant sacramēta, qb⁹ formet̄



PER PROSP. SELECT.

ecclesia. Vnde Apostolus ipsum Adam dicit formam  
futuri. Quia sicut in Adam omnes moriuntur: ita in  
Christo omnes viuificabuntur.

Roma. 8.  
1. Cor. 15.

¶ De incarnatione verbi.

CCCXXIX.

Deus homo factus est: quid facturus est homo, p  
pter quem deus factus est homo?

¶ De duabus natiuitatibus hominum.

CCCXXX.

Vna est natiuitas de terra, alia de caelo est: vna est  
de carne, alia de spiritu: vna est de aeternitate, alia de  
mortalitate: vna est de masculino & femina, alia est de  
deo & ecclesia. Et ipsae duae singulares sunt. Quomo  
do ergo vterus non potest repeti: ita nec baptismus.

¶ De diuersitate bonorum. CCCXXXI.

In visibilia attendas, nec panis est deus: nec aqua  
est deus: nec lux ista est deus: nec vestis est deus: nec  
domus ista est deus: Omnia enim haec visibilia sunt,  
& singula sunt. Quod enim est panis, non hoc est aqua  
& quod est vestis, non hoc est domus: & quod sunt  
ista, non hoc est deus: visibilia enim sunt. Deus autem to  
tum tibi est, quod recte desideras, & omnium bono  
rum varietas vno fonte perfunditur. Quoniam cum  
sua tribuit, seipsum sub diuersis munerum suorum  
nominibus impertit.

¶ De intellectu.

CCCXXXII.

Anima carnalia appetens femine comparatur non  
habenti rectorem virum, qui est intellectus cuius eam  
oportet sapientia gubernare: non quasi aliud sit quam a-  
nima: sed quia obruitus quidam occultus sit animae  
Sicut enim exteriores oculi quiddam sunt carnis: ita

anima  
mens



## SENTENTIAE EX AVG.

mens quiddam est animi, quod in eo secundum participationem diuine rationis excellit. Et tunc omnibus motibus eius bene præsidet, cum superna luce radiatur, ut sit in eo lumine verum quod illuminet oem hominem venientem in hunc mundum.

¶ De loco orationis. CCCXXXIII.

Quid supplicaturus deo locum aptum & sanctum requiris? Interiora tua munda, & omni inde mala cupiditate repulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare, in te ora: & ita age semper, ut de templum sis. Ibi enim deus exaudit, vbi habitat.

¶ De homine interiori. CCCXXXIII.

Sensus corporis corporalia nuntiat corde: Et non omnium facultas eadem: quia non inde videtur vnde auditur, nec vnde sapor inde & odor capitur. Nec hi ministri sine tactu ad leuia & gratia, calida & frigida, humida & sicca, discernenda sufficiunt. In corde vero animus suo tantum sensu diiudicat, & omnes varietates vno motu attingit, & quicquid discretionis inter bona & mala, iusta & iniusta rationabiliter inuenit, vnus est intentionis affectus.

¶ De vita filij dei. CCCXXXV.

Dei filius dicitur vitam habere in semetipso, sicut habet pater: non participando adeptus, sed nascendo. Vitam enim genuit pater vita, nec differt in aliquo essentia gignentis & geniti, cum sic ex patre sit filius, ut consempiterna non vna quidem persona, sed vna sit deitas. Quanuis nunquam recedat à filio pater: ad iudicandos tamen viuos & mortuos non ipse dicit,



PER PROSP. SELECT.

sed filius affuturus: quia ibi nec patris nec filij deitas, sed illa forma videbitur filij, quam sibi per sacramentum incarnationis vniunt. Ipsa ergo erit iudex, quæ coram iudice stetit. Ipsa iudicabit, quæ iudicata est: vt videant impij eius gloriam, in cuius mansuetudine fremuerunt. Talis ergo apparebit iudex, qualis videri possit: & ab eis, quos coronaturus: & ab eis, quos dånaturus est. Pater autem non apparebit: quia forma serui non est indutus, sed filio, qui etiam homo factus est, dedit iudicij potestatem.

¶ De voluntate dei. CCCXXXVI.

Quam voluntatem homines faciunt, non dei, quæ id agunt quod deo displicet. Quando autem ita faciunt, vt volunt, vt diuinę seruiant volũtati, quæ nolentes agunt, illius tamẽ volũtas est, à quo & pparatur, & iubetur quod volunt.

¶ De doctrina patris per verbum. CCCXXXVII.

Si illum docet pater, qui audit verbum eius: quere quid sit Christus, & inuenies verbum eius. In principio erat verbum: non autem in principio deus fecit verbum: sicut in principio deus fecit cælum & terrã. Verbum enim dei deus est, non creatura: nec factum inter omnia, sed per quod facta sunt omnia. Vt ergo ad talis verbi doctrinam homo in carne constitutus possit accedere: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.

¶ De corpore Christi. CCCXXXVIII.

Caro Christi vita fidelium est: si corpus ipsius esse non negligãt, fiant ergo corpus Christi, si volunt viuere de spiritu Christi: de quo non viuit, nisi corpus



## SENTETIAE EX AVG.

Christi. ¶ Qui edūt corp<sup>o</sup> Chri. CCCXXXIX.

Escam vitę accipit, & poculum vitę bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo, nec panem eius manducat, nec sanguinem bibit: etiam si tantę rei sacramentum ad iudicium suę præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.

¶ De malorum felicitate. CCCXL.

Velut mundana sapientia, vt nunq̄ permetteret eos deus qui mali sunt esse felices, quod vtiq̄ non finet: sed ideo mali cum habent quod volunt, felices putantur: quia quid sit felicitas ignorant.

¶ De mutatione cordis. CCCXLI.

Aliud est migrare corpore, aliud corde. Migrat corpore, qui motu corporis mutat locum. Migrat corde, qui motu cordis mutat affectum. Si aliud amabas: non es nisi vbi eras. ¶ De chrismate. CCCXLII.

Christi nomen à chrismate est, id est ab vnctio-  
ne. Quia ergo omnis Christianus sanctificatur: vt in-  
telligat se non solum sacerdotalis & regię dignitatis  
esse consortem, sed etiam contra diabolum fieri lu-  
ctatorem.

¶ De lumine. CCCXLIII.

Sequamur Christum lumen verum, nec ambule-  
mus in tenebris. Tenebrę autem metuendę sunt:  
morum, non oculorum: & si oculorum, non exterio-  
rum, vnde discernitur, non album & nigrum, sed iu-  
stum & iniustum.

¶ De incarnatione verbi. CCCXLIII.

Catholica fides dominum Iesum Christum & ve



PER PROSP. SELECT.

rum deum, & verum hominem credit & prædicat. Vtrūq; enim scriptum est, & vtrūq; verum est. Qui deum tātummodo asserit esse Christū, & potentiam negat qua creatus est, & medicinam qua sanatus ē. Qui hoīem tātummodo asserit Christū, potētiā negat qua creatus est. Vtrūq; ergo anima fidelis ac recta suscipere: est deus Christus: est & homo Christus: æqualis deo Christus, æqualis patri: vnū cum patre æqualis homo Christus virginis filius: trahens de homine mortalitatem, non autem iniquitatem.

De missione verbi. ¶ CCCXLV.

Missus dominus Christus à patre, non recessit à patre. Missio eius incarnatio fuit, & inuisibili deitate hæc fuit, in hūc mundū venire q̄ appareret. Quod si cito caperetur, nō opus erat, vt crederetur. Credēdo ergo capitur: quod nisi credatur, nunq̄ intelligitur.

¶ De patre & filio. CCCXLVI.

Vt recte credatur pater & filius, & ipse filius audiendus est, dicēs: Ego & pater vnū sumus. Duobus enim verbis duæ simul hæreses detrūcantur. Nam per id quod ait, vnum, Arrium perculit: per illud qd̄ ait, sumus, Sabelliū strauit: quia nec sumus, de vno; nec vnum, diceret de diuerso.

Iohan. 1. 1.

¶ De deo & homine Iesu. CCCXLVII.

Vtrūq; nouerimus esse in Christo: & vnum, quo æqualis patri est: & vnum, quo illo maior est pater. Illud verbum est: illud caro est: illud deus est: illud homo est. Sed vnus est Christus deus & homo.

¶ De vnitare dilectionis. CCCXLVIII.

Multorum hominum multę sunt sine dubio aīę,

E iij



## SENTENTIAE EX AVG.

& multa sunt corda: sed ubi per dilectionem fidemque adhereat deo, una anima & unum cor sunt. Si ergo charitas dei, quae diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis, tantam unitatem multarum animarum, & multorum cordium facit: quanto magis certius in patre & filio & spiritu sancto aeterna & incommutabilis unitas manet: ut indifferens trinitas, unus deus, & unum lumen, & unum principium.

¶ De doctrina patris ad filium. CCCXLIX.

Non sic docuit pater filium quasi indoctum genuerit, & scientiam contulerit nescienti, sed temporalis doctrinae est intemporalis essentia: hoc est a patre doceri, quod est a patre generari: quia simplicitas naturae est, esse & nosse: sed non est aliud atque aliud, sed id ipsum.

¶ De fide & veritate. CCCL.

Fides semper praevincit visionem. Credimus enim, ut cognoscamus: non cognoscimus, ut credamus. Fides ergo est quod non vides credere: veritas, quod credidisti videre.

¶ De bono odore Christi. CCCLI.

Bonus odor Christi est praedicationis veritatis: quo odore vitam capit, qui euangelio bonis operibus servit & congruit. Mortem autem incurrit omnis qui ab his, quae bene loquitur, vita dissentit: quae conditio & auditores constringit, cum recta praedicatione ab his per incredulitatem auditur in mortem: ab alijs per fidem suscipitur in salutem.

¶ De facultate credendi. CCCLII.

Fides Christi est credere in eum qui iustificat im-



PER PROSP. SELECT.

p̄iū: credere in mediatorem, sine quo nullus reconciliatur deo: credere in saluatorem, qui venit quærere & saluare quod perierat: credere in eum qui dixit: Si ne me nihil potestis facere. Sed hęc fidem non apprehendit, qui ignorās dei iustitiam, qua iustificatur impius, suam vult constituere, qua conuincitur supbus.

¶ De vera dilectione. CCCLIII.

Charitatem habens, quæ ex puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta, diligit deum, & proximum sicut seipsum. Amator enim dei, amator est sui: & qui non diligit deum, non diligit proximum: quia non diligit seipsum. Pro hac autem dilectione patienter etiam mundi odia sunt toleranda: necesse est enim vt nos oderit, quos videt odisse quod diligit.

¶ De bipartita mundi significatione.

CCCLIII.

Duo hominum genera sub vno nomine nuncupantur mundi. Sicut enim dicitur in impijs, sic dicitur mundus in sanctis. Vnde cum totus in semetipso & in amore & in odio discordet, nos eum & odisse iubemur & amare, cum dicitur nobis: Nolite diligere mūdum: & cum dicitur: Diligite inimicos vestros: vt quorum execramur iniquitatem, optemus salutem. 1. Iohan. 2  
Matth. 5.

¶ De vitāda sciētię gloria. CCCLV.

Ad vitādam tētatiōem vanę glorię, melior est discētis q̄ docētis status. Tutius em̄ audit veritas, q̄ p̄dicat. Qm̄ cum doctrina recipitur, humilitas custoditur. Cum autem disputatio placet, vix est vt disserētem nō pulset quātulacūq; iactātia.

¶ De laude qua se prædicat deus. CCCLVI.

E v



## SENTENTIAE EX AVG.

Periculosum est homini sibi placere, cui caue-  
dum est superbire. Deus autem quātumcūq; se lau-  
det, non se extollit excelsus, nec se vult sua maiestate  
videri maiorem. Sed cum homini loquitur potentiā  
suam: nō hoc agit, vt gloriosior ipse, sed vt ille melior  
fiat & doctior. Nobis em̄ prodest autorem nostrum  
cognoscere, & ei q̄ ē super oīa subiacere: ne de re quā  
nō possumus comprehendere quid est, possumus sen-  
tire quod nō est.

¶ De remittēdis peccatis. CCCLVII.

Christiana obseruātia ad perfectę pietatis profe-  
ctum per mutuam maxime peruenit indulgentiam  
peccatorum, dāte nobis dño suę bonitatis exemplū.  
Nam si ille in quo nullum omnino fuit peccatum, in-  
terpellat pro peccatis nostris: q̄to magis nos iuicem  
pro proprijs orare debemus. Amplectēda quippe ē  
homini, qui nō om̄i potest carere peccato, tam beni-  
gna cōditio: vt dimittēdo peccata aliena, diluat sua.

¶ De æternitate sanctorum. CCCLVIII.

Iustorum desideriorum societati tunc nihil deerit,  
quādo deus om̄ia in illis omnibus erit. Ad quam bea-  
titudinem hi perueniunt, qui huic seculo ante separa-  
tionem animæ carne moriuntur: nec in eis inueniun-  
tur cupiditatibus quas sola superat dilectio dei. Et vt  
id patiat iniquitas, quod elegit: eo bono fruatur iu-  
stitia, quam amauit.

¶ De confitendo homine Iesu Christo. CCCLIX.

Quis sic confitetur dominum Iesum & Christum  
vt eundem hominem neget verum: habentem scili-  
cet vnitam sibi nostræ carnis & animæ naturam: nō



PER PROSP. SELECT.

est pro illo mortuus Christus: quia secundum homi-  
nem mortuus est Christus. Non recōciliatur per me-  
ditatorem deo. Vnus est enim deus, & vnus media-  
tor dei & hominum homo Christus Iesus. Nec iustifi-  
catur p̄ ipsum: quia sicut per inobedientiam vnus ho-  
minis peccatores constituti sunt multi: ita per obedi-  
entiam vnus hominis iusti constituentur multi. Nō  
resurget in resurrectione vitę: quia per hoīem mors  
& per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim  
in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes  
viuificabuntur. Nullus se beati Petri defendat exem-  
plo, qui se multis lachrymis accusauit & lauit: vt prin-  
cipem suum ecclesia: non negationis, sed p̄nitentię  
imitatione sequeretur.

1. Timo. ii.

Roma. 5.

1. Cor. 15.

Mat. xxvi

¶ De æternitate.

CCCLX.

In quibusdam æternis potest esse aliqua distantia.  
Ipsa nanq; æternitas absq; diuersitate mensurę est.  
Multę quippe mansiones in vna vita, varias merito-  
rum significant dignitates. Sed vt deus omnia in o-  
mnibus erit, fiet etiam in dispari claritate per gaudi-  
um: vt quod habent singuli, commune sit omnibus.  
Quoniam per connexionem dilectionis à gloria ca-  
pitis, nulla aliena erit pars corporis.

¶ De fide.

CCCLXI.

Fides eorum qui deum visuri sunt, quod non vi-  
det credit: nam si videt, non est fides: credenti pollice-  
tur meritum, videnti redditur præmium.

¶ De petitiōe cōtraria.

CCCLXII.



## SENTENTIAE EX AVG.

Male vsurus eò quod vult accipere, deo potius miserante non accipit. Proinde si hoc ab eo petitur unde homo exauditus laedatur; magis metuendum est, ne quod possit deus dare vt propitius, det iratus.

¶ De dilectione.

CCCLXIII.

Iohan. 14.

Qui diligit me inquit dominus, diligetur a patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo illi meipsum. Quid est enim, diligam, tanquam tunc dilecturus sit, & nunc non diligit? Absit. Quomodo enim nos pater sine filio, aut filius sine patre diligit? Quomodo inseparabiliter operantur, separabiliter diliguntur? Sed ad hoc diligam eum ad hoc quod sequitur: Et manifestabo ei meipsum. Diligam & manifestabo, id est ad hoc diligam, vt manifestem. Nunc enim ad hoc dilexit, vt credamus, & mandatum eius teneamus. Tunc ad hoc diliget, vt videamus, & ipsam visionem mercedem fidei capiamus. Quia & nos nunc diligimus credendo, quod videbimus: tunc autem diligemus videndo, quod credidimus.

¶ De palmitibus vitis.

CCCLXIII.

Ira sunt palmites in vite, vt viti nihil conferant, sed inde accipiant unde viuant. Sic quippe vitis est in palmitibus, vt vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis vtrunq; prodest, non Christo. Nam preciso palmite potest de viuara dice alius pullulare: qui autem precisus est, sine radice viuere non potest.

¶ De humana iustitiae modo.

CCCLXV.



PER PROSP. SELECT.

Diuinitus dictum est: Noli esse iustus multum: q̄- Eccl. 7  
niam non est iustitia sapientis, sed superbia præsumē-  
tis. Qui ergo sic fit nimis iustus, ipso nimio fit iniu-  
stus. Quis est autem qui se facit iustum, nisi qui dicit  
se non habere peccatum?

¶ De simplicitate. CCCLXVI.

Nullus etiam incorporeę creature vere simplex  
substantia est, cui non est esse quod nosse: potest em̄  
esse, nec posse: at illa diuina substantia non potest, q̄a  
idipsum est quod habet. Ac per hoc sic non habet sci-  
entiam, vt aliud sit illi scientia qua scit, aliud essentia  
qua est, sed vtrunq; vnum: quanuis non vtrunq; di-  
cendum sit, quod verissime simplex & vnum est. Ha-  
bet enim vitam pater in semetipso: nec aliud est ipse  
quam vita quę in illo est: & dedit filio habere vi-  
tam in semetipso: Hoc est, genuit filium, qui & ipsa  
vita est. Sic itaq; debemus accipere quod de spiritu  
sancto dictum est: Non enim loquetur à semetipso,  
sed quęcunq; audiet loquetur: vt intelligamus, non Iohan. 18  
eum esse à semetipso. Pater quippe solus de alio non  
est. Nam & filius de patre natus est: & spiritus sanctus  
de patre procedit. Pater autem nec natus est de alio, 2 filio  
nec procedit. Nec ideo sane aliqua disparilitas in sum-  
ma illa trinitate cogitationi occurrat humanę: quia  
& filius ei de quo natus est, & spiritus sanctus ei de q̄  
procedit equalis est.

¶ De temporalitate deitatis.

CCCLXVII.



## SENTENTIAE EX AVG.

*est. fuit. erit*  
Quantis natura incommutabilis non accipiat  
fuit & erit, sed tantum est: ipse enim veraciter est: quia  
aliter quam est esse non potest: tamen propter mutabilitatem  
temporum in quibus versatur nostra mortalitas, non mendaciter  
dicimus: & fuit, & est, & erit: fuit in praeterito: est in praesentibus: erit in futuris. Fuit  
quippe, quia nunquam desinit: erit, quia nunquam  
deerit: est, quia semper est. Neque enim velut qui iam  
non sit, cum praeteritis occidit: aut cum praesentibus  
tanquam non maneat labitur: aut cum futuris tanquam  
non fuerit orietur. Proinde cum secundum tempo-  
rum volumina locutio humana variatur: qui per nul-  
la deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora, vere  
dicuntur de illo cuiuslibet temporis verba. Semper  
itaque audit spiritus sanctus, quia semper scit & scire &  
audire. Hoc illi est, quod semper esse: semper vero il-  
li est esse, de patre procedere. Nemo autem potest di-  
cere quod non sit vita spiritus sanctus: cum vita pater, vi-  
ta sit filius. Ac per hoc sicut pater cum habeat vitam  
in semetipso, dedit & filio vitam habere in semetipso:  
sic spiritui sancto dedit vitam, procedere de illo: si-  
cut & procedit de ipso.

Johan. 5.

### ¶ De dilectione qua diligamus deum. CCCLXVIII.

Prorsus donum dei est, deum diligere. Ipse ut dili-  
geretur donum dedit, qui non dilectus dilexit: displi-  
centes amati sumus ut fieret in nobis unde placere-  
mus. Diffudit enim charitatem in cordibus nostris  
spiritus patris & filii, quem cum patre amamus & filio.

Roma. 5



PER PROSP. SELECT.

De pace Christi.

CCCLXIX.

Pax Christi finem temporis non habet, & ipsa est  
omnis intentionis actionisq; perfectio. Propter hanc  
sacramentis imbuimur: propter hanc mirabilius eius  
operibus & sermonibus erudimur: propter hanc spi-  
ritus sancti pignus accepimus: propter hanc in eum  
credimus & speramus, & amore ipsius quantum do-  
nat accendimur: propter hanc denique omnem tri-  
bulationem fortiter toleramus, vt in ea feliciter sine  
tribulatione regnemus. Vera enim pax vnitatem fa-<sup>1. Cor. 6.</sup>  
cit: quoniam qui adheret deo, vnus spiritus est.

De temporibus.

CCCLXX.

Omne tempus ab illo est dispositum, qui tempori  
subditus non est. Quoniam quæ futura erant p sin-  
gula tempora, in dei sapientia habent efficaces cau-  
sas, in qua nulla sunt tempora. Non ergo credat ho-  
ra passionis dñi fato urgente venisse, sed deo po-  
tius ordinante. Non enim causa necessitatis Christo  
intulit crucē: nec sidera coegerūt mori siderū cōdito-  
rem: qui intemporalis cum patre, sic tempus quo car-  
ne moreretur, quemadmodum & quo de matre na-  
sceretur, elegit.

*Christi  
fatum*

De vnitate charitatis.

CCCLXXI.

In eo autem quod dicitur: Hæc est autem vita æ-<sup>Iohan. 17.</sup>  
terna, vt cognoscant te solum verum deum, & quem  
misisti Iesum Christum. Ordo verborum est: vt co-  
gnoscant te solum verum deum: & quem misisti Ie-  
sum Christum cognoscant solum deum verum. Cō-

*Trinitas*



## SENTENTIAE EX AVG.

sequenter enim intelligitur & spiritus sanctus: quia spiritus est patris & filii, tanquam charitas substantialis & consubstantialis amborum: quoniam non duo dii, pater & filius: nec tres dii, pater & filius & spiritus sanctus: sed ipsa trinitas vnus solus verus deus. Nec idem pater, qui filius: nec idem filius, qui pater: nec idem spiritus sanctus, qui pater aut filius: quoniam tres sunt pater & filius & spiritus sanctus: sed ipsa trinitas in his vnus deus.

### ¶ Quid dedit pater filio. CCCLXXII.

Quicquid deus pater deo filio dedit, gignendo dedit. Ita enim dedit filio pater, sine quibus filius esse non possit, sicut ei dedit ut esset. Nam quomodo verbo verba daret aliqua, in quo ineffabiliter dixit omnia?

### ¶ De custodia qua deus seruat suos.

#### CCCLXXIII.

Custodiam dei circa nos, non tanquam carnaliter debemus accipere: velut vicissim nos seruent pater & filius, amborum in nobis seruandi alternante custodia: quasi alius alio discedente succedat. Simul enim custodiunt pater & filius & spiritus sanctus, qui est vnus verus deus. Sed scriptura nos non leuat, nisi descendat ad nos. Sicut verbum caro factum descendit, ut nos releuaret: non cecidit, ut iaceret. Si descendentem cognouimus, cum leuante surgamus: & intelligamus cum ita loquitur, personas eam distinguere, non separare naturas.

### ¶ De gratia dei qua omne hominis meritum praeuenitur. CCCLXXIII.



## PER PROSP. SELECTAE.

Si naturā cogitemus in q̄ creati sumus, cū om̄es ve-  
ritas creauerit, q̄s nō est ex veritate? Sed nō oēs sunt  
q̄bus vt audiāt veritatē & credāt, ex ip̄a veritate p̄sta-  
tur. Null⁹ p̄culdubio p̄cedētibus merit⁹ saluat, ne gr̄a  
non sit gratia. Si em̄ dixisset, om̄is qui audit vocē meā  
ex veritate est, ideo dictus ex veritate putaret, q̄ ob-  
tēperat veritati. Non aut̄ hoc ait: sed, om̄is inquit qui  
est ex veritate, audit vocē meā. Ac per hoc non ideo  
est ex veritate, quia audit eius vocē: sed ideo audit, q̄a  
ex veritate est, id est, quia illi hoc donū collatū est, q̄d  
quidē non est aliud, q̄ donāte Ch̄o credit in Ch̄m.

¶ De amore q̄ deū amare debemus.

### CCCLXXV.

Quisquis seipsum, non deū amat, non se amat. Et  
quisquis deum, non seipsum amat, ipse se amat. Qui  
enim non potest viuere de se, moritur vtriq̄ amando  
se. Cum ergo ille diligitur de quo viuūt, nō se diligēdo  
magis diligit, q̄ propterea se non diligit, vt eum de q̄  
viuit diligit.

¶ De indiuiso patris & filij opere. CCCLXXVI.

Quicquid illud est quod oportet patrē agere ad fi-  
lium, non fit nisi per eundem filium ad ipsum, scilicet  
q̄ filius hominis est, & factus inter omnia per ipsum,  
quia filius dei est, & per illum fiunt à patre omnia.

¶ De subiectione filij. CCCLXXVII.

Nō est mirum dicere Apostolum, etiam in futuro  
seculo patri filium subiectū futurum, vbi ait: Tunc &  
ipse subiectus erit ei qui illi subiecit om̄ia. Quoniam  
quidem in filio forma humana mansura est, qua sem-  
per maior est pater. Quamuis non defuerunt, qui illa

F



## SENTENTIAE EX AVG.

tunc filij subiectionē ipsius humanę formę in diuinā substantiā commutādā intelligendā putarunt, tāquam hoc cuiq; rei subiiciatur, quod in eam veritur & mutatur. Sed intelligi potest ideo magis dixisse Apostolū, etiam tunc patri filiū fuisse futurum subiectum, ne quis in eo putaret spiritum & corpus humanū conuersiōe aliqua consumendū: vt sit deus omnia, non tñ in illius forma hominis, sed in omnibus, quā capitis gloria vniuersum corpus implebit.

**¶ Nihil in quibuscunq; creatis à deo relinquitur inordinatū. CCCLXXVIII.**

Quantacunq; bona quibus magna, quāuis minima, nisi ex deo esse non possunt. Quid em̄ maius in creaturis q̄ vitā intelligens, aut quid minus esse potest q̄ corpus? Quę quantumlibet efficiant, & in id tendant vt non sint, tamē aliquid formę illius remanet, vt quolibet modo sint. Quicquid aut formę cuiuspiam rei deficientis remanet, ex illa forma est quę nescit deficere: motusq; ipsos rerum deficientiū vel proficientium excedere numerorū suorum leges non finit. Quicquid ergo laudabile aduertitur in rerū natura siue exigua, siue ampla, quod laude dignum iudicetur, ad excellentiam & ineffabilem laudem referendum est conditoris.

**¶ Quod præscientia de ineminem peccare compellit. CCCLXXIX.**

Neminem deus ad peccandum cogit: præuidet tñ eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet iustus quę fieri non cogit præsciens? Sicut em̄ nemo memoria sua cogit facta esse quę præter-



PER PROSP. SELECTAE

eunt, sic deus præscientia sua non cogit faciēda quæ futura sunt. Et sicut homo quædam quæ facit meminit, nec tamen omnia quæ meminit facit: ita deus omnia quorum ipse autor est, præscit, nec tamen omnium quæ præscit, ipse autor est. Quorum autem non est autor malus, iustus est ultor.

¶ De cognoscendis creaturis quæ non videntur. CCCLXXX.

Humana anima naturaliter diuinis ex quibus pendet, connexa rationibus, cum dicit melius fieri hoc quàm illud: si verum dicit, & videt quod dicit, in illis superioribus rationibus videt. Credat ergo fecisse quod recto intellectu ab eo faciendū fuisse cognoscit: etiā si hoc in rebus factis non videt. Qui etiam si cælum oculis videre non posset, & tamen ratione vera tale aliquid faciendum fuisse collegerit, credere debuit factum fuisse, quamuis id oculis non viderit. Non enim cogitatione cerneret factum fuisse, nisi his rationibus in quibus facta sunt omnia. Quod autem ibi non est, nec potest vera cogitatione videre quod non est.

¶ Quo remedio vulnera humana curentur. CCCLXXXI.

Quid tam dignum misericordia quàm miser est, & quid tam indignū misericordia quàm superbus miser? Ex quo factum est, vt illud dei verbum per quod facta sunt omnia, & quo fruitur omnis angelica beatitudo, vsq; ad miseriam nostram porrigat clemētiam suam. Et verbum caro factum est, vt habitaret in nobis. Sic enim posset panem angelorum homo manducare nondum angelis adequatus, si panis iste angelorum



## SENTENTIAE EX AVG.

hominibus dignaretur equari. Nec sic descendit ad nos, ut illos desereret, sed simul integer illis, integer nobis, illos intrinsecus pascens per id quod deus est, nos forinsecus admonens per id quod nos sumus: & idoneos fecit per fidem, quos per speciem pascat equaliter.

¶ Vitium contra naturam est.

CCCLXXXII.

Dubium non est, contra naturam esse omne vitium & eius rei cuius est vitium. Quapropter quoniam in quacunque re non vituperatur nisi vitium, ideo vitium est, quia contra naturam est. Nullius rei recte vituperatur vitium, nisi cuius natura laudatur. Non enim in vitio displicet, nisi quod corrumpit quod in natura placet.

¶ De poena peccati.

CCCLXXXIII.

Omne peccatum animæ est. Duo sunt poenalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia depravat error: ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris ut erret inuitus, & resistendo repugnationi carnalis vinculi non posse ab illicitis operibus temperare: non est natura instituti hominis, sed poena damnati.

¶ De varietate remediorum.

CCCLXXXIII.

Ut ars medicinae cum eadem maneat, neque vltimo modo ipsa mutetur, mutat tamen præcepta lan-



PER PROSP. SELECTAE

guentibus: quia mutabilis est nostra valetudo: ita di-  
uina prouidētia cum sit ipsa omnino incōmutabilis,  
mutabili tñ creaturæ varie subuenit, & pro diuersita-  
te morborum alijs alia iubet, aut vetat, vt à vitio vn-  
de mors incipit, & ab ipsa morte ad naturam suam &  
essentiam ea quæ deficiunt, id est, ad nihilum tendūt,  
reducat & firmet.

¶ De prima hominis præuaricatione.

CCCLXXXV.

Primum animæ rationalis vitium est, voluntas ea  
faciendi quæ vetat summa & intima veritas. Ita ho-  
mo de paradiso in hoc seculū depulsus est, id ē, ab eter-  
nis ad temporalia, à copiosis ad egena, à firmitate ad  
infirma. Nō ergo à bono substantiali ad malum sub-  
stantiale, quia nulla substantia malum est, sed à bono  
æterno ad bonū tēporale, à bono spiritali ad bonum  
carnale, à bono intelligibili ad bonū sensibile, à bono  
summo ad bonū infimū. Est igit quoddā bonū, qd  
si diligit anima, peccat, quia infra illā ordinatum est:  
quare ipsum peccatum malum est, non ea substantia  
quæ peccando diligitur.

¶ De veritate.

CCCLXXXVI.

Lex omnium artium est, cum sit omnino incōmu-  
tabilis, mens vero humana cui talem legem videre  
cōcessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis  
apparet supra mentem nostrā esse legē, quæ veritas  
dicit. Nec iam illud ambigendū est, incōmutabilē na-  
turā, quæ supra animam rationalē sit, deum esse, & ibi  
esse primā vitam & primā essentiam, vbi est prima  
sapientia. Nam hæc est illa incōmutabilis veritas, quæ



SENTENTIAE EX AVG.

lex omnium artium recte dicit, & ars omnipotentis artificis. Itaque cum se anima sentiat, nec corporis speciem motumque iudicare secundum seipsam, simul oportet cognoscat, prestare suam naturam ei naturae de qua iudicat, prestari autem sibi eam naturam secundum quam iudicat, & de qua nullo modo iudicare potest.

¶ Quo iniet cor ad discendum. CCCLXXXVII.

Ad discendum necessario dupliciter ducimur, auctoritate, atque ratione. Tempore auctoritas, re autem ratio prior est. Aliud est enim quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo aestimatur. Quia ergo & principium sapientiae timor domini, & per humilitatem ad sublimia gradus est, incedat humana ignorantia per fidem, ut mereatur fides videre quod accedit.

¶ De diuitijs. CCCLXXXVIII.

**N** Diuitijs, floribus & maiorum nobilitate reiectas, & exultas de patria, & pulchritudine corporis, & honoribus qui tibi ab hominibus deferuntur, respice te ipsum quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis. Circumspice eos qui ante te similibus splendoribus fulsere. Vbi sunt quos ambiebant ciuium potentatus? Vbi insuperabiles imperatores? Vbi qui conuentus disponebant & festa? Vbi equorum splendidi inuectores? Vbi exercituum duces? Vbi satrapae tyrannici? Nunc omnia puluis, nunc omnia fauilla, nunc in paucis versibus eorum vite memoria est. Respice sepulchra, & vide quod seruus, quod dominus, quod pauper, quod diues. Discerne si potes vincitum a rege, fortem a debili, pulchrum a deformi. Memor sis itaque ne extollaris aliquando. Memor autem eris, si teipsum respexeris. Finis.



Supplicatio de rebus in quibusdam locis



et in rebus & de rebus in quibusdam locis

ti.  
 m  
 o  
 u  
 r.  
 r.  
 a  
 r.  
 i  
 a  
 u  
 d.  
 u  
 s.  
 e  
 n  
 i  
 t  
 i  
 c  
 u  
 l  
 i  
 s  
 a  
 r





Superbis deus refistit, humilibus autem dat gratia.



Parcere subiectis & debellare superbos.

*venit nobis ira leonis*



sancta 15  
Si ab ipso mundo esse possit vitas  
nostras no esse ab ipso dno. Latu. 5 fo. 51.  
Nihil ad felicitatem dicitur si vxor no fuerit. pto

AB: 754957

X 1996275











B.I.G.

Farbkarte #13

# SENTENTIAE ALIQVOT VELT APHORISMI, EX OMNIBVS

Augustini ac aliorū libris, per PROSPERVM  
episcopum Rheginensem (vt veneranda  
vetustatis exemplar restatur)  
ad vsum pietatis studio-  
sorum se-  
lecta.



COLONIAE  
Ioannes Prael excudebat,  
Anno M.D.XXXI,  
Mense Aug.

*the claron Dybborgo*  
2

